Thomas F. Torrance

SCJ #1115

Thomas F. Torrance

Digitized by the Internet Archive
in 2012 with funding from
Princeton Theological Seminary Library

http://www.archive.org/details/tractatuspiusetm00bzet

CHRISTIANO LECTORI

THEODORVS BEZA

gratiam
& pacem à Domino.



Vænam fuerint huius in Ecclesia Heidelbergensi excitatæ, & Dei beneficio, ac Illustriss. Principis pendentia, ibi quidem extinctæ de PRESBYTERIO ET EXCOMMVNICATIONE *controuersiæ initia, & qui mox sequuti progressus, neque satis scio, neque si scirem, dicere animus est: vt quis fodere hunc ignem minimè decreuerim, neque cum mortuo, præsertim amico, luctari. Quod autem ad me attinet, in quem nominatim tela nunc ista dirigantur, paucis exponam necesse est quinam in ista disceptatione interuenerim, vt omnes intelligant me néque vt contentiosum, néque vt ἀλλοτριεπίσκοπον ad hanc disputationem accessisse. Heidelbergensem clariss. & orthodoxam Ecclesiam, ab Illustriss. beatissimæ memoriæ Principe Electore, Friderico iij. felicissimè instauratam, ea, qua decet, obseruantia semper colui: & D. Erastum, priuatim quidem in ea Ecclesia, & professione medicum, sed in sacris literis præterea diligenter versatum, & quem satis nossem egregiam operam ad illius Ecclesiæ instaurationem nauasse, superstitem peculiari quodam amore sum complexus. Quantum autem ille vicissim amicitiæ nostræ ante hanc controuersiam tribueret, non ex eius duntaxat literis amicissimè scriptis quamplurimis, sed ex eo etiam cognoui, quòd sua quædam ad me scripta non tantùm excudenda, sed etiam examinanda misit. Quum igitur illic de tantis istis rebus, & quidem non absque acerbitate quadam disceptari, ex amicorum literis cognouissem, operam dedi, quantum in me fuit, fraternè scriptis, tum ad ipsum Erastum, tum ad charissimum fratrem D. Gasparem Olesianum, tunc primarium illius Ecclesiæ pastorem epistolis, vt res tota placidè & amicè statim componeretur: illum quidem precatus vt suam hac de re sententiam Illustriss. Principi, & eius Ecclesiæ pastoribus, spectatæ pietatis & doctrinæ viris, pro Christiani viri officio edidisse, & suæ conscientiæ satisfeciss e contentus, rem hanc totam vel omitteret, vel iis, ad quos iudicium eius vel*

spectaret, decidendum committeret: hunc verò, cuius vehementius ea *penè immoderatius interdum esse ingenium noueram, non tantùm vt* *fratrem, sed etiam vt meum olim & in Lausanensi, & in Geneuensi* *schola discipulum hortatus, vt, licet causam, meo quidem iudicio, iustam* *tuerentur, ab omni tamen intemperie quàm diligentissimè sibi caueret.* *Ecce verò dum hæc ago, ad me theses ipsius D. Erasti manuscriptæ af-* *feruntur, non illæ quales nunc editæ sunt, & quas antehac nunquam* *vidi, sed numero plures, & (vt ipse in præfatione testatur) quantuis* *eandem complexæ sententiam, aliquantulum tamen certè nonnullis lo-* *cis diuersæ. Addebant amici à quibus illas accepi, sparsas iam illas circ-* *umferri, & ad Tigurinos fratres missas, à quibus non improbarentur.* *Petebant etiam iidem, idque non inscio Illustriss. Principe, vt illas in-* *spicerem, & ad eas respondere sustinerem, Quid hîc igitur à me factum* *oportuit? certè, nisi vehementer fallor, id ipsum quod feci. Itaque the-* *ses illas inspicio, & syncero, cuius ipse mihi Deus testis est, animo ad* *diuini verbi normam exigo: & dum placidam ac ab omni asperitate* *alienam refutationem, tum ab Erasto in primis, tum à Tigurinis cha-* *rissimis fratribus legendam & examinandam paro, illud ipsum quod* *antea cœperam, literis vrgeo. Sperabam enim illum, perlectis meis, vel* *sententiam fortasse mutaturum, vel de illa saltem detracturum nonnul-* *la quæ iam tum in illis thesibus, nimiùm profectò acriuscule scrip-* *sisset. Maximos autem illos viros Tigurinos fratres, quibuscum semper* *coniunctissima fuit, &, Deo fauente, semper erit hæc Ecclesia, & quos* *semper cognoueram ad summam pietatem & eruditionem, animum Ec-* *clesiarum pacis studiosissimum adiunxisse, illos, inquam, non dubitabam,* *etiamsi fortasse non omnia mea penitus comprobarent, tamen ad hoc re-* *linquendum exoriens incendium, omnem operam suam, summo studio,* *collaturos. Neque verò me spes illa fefellit. Esi enim ista contentio* *iam longius processerat, & iam tum (vt coniicio) suam hanc refutation-* *nem, nunc primùm ad me perlatam, D Erastus, calamo certè interdum* *in meram bilem potius quàm in atramentum immisso, perscripserat:* *tamen, quum & Illustriss. ipse Princeps quid opus esset facto iam in* *Ecclesiis sui Palatinatus constituisset, & illi pro sua prudentia prospi-* *cerent quônam res ista alioquin esset euasura, generali potius consen-* *su & collatione, quàm prolatis hinc inde priuatorum quorundam, quan-* *tumuis eruditorum, argumentis semel decidenda, à me quidem per fa-* *cilè obtinuerunt, ne meum illud scriptum spargeretur, de quo edendo* *nunquam cogitaram. Ab ipso autem D. Erasto idem ipsos obtinuisse* *ex re ipsa constat, quum nihil istorum, quæ nunc editæ sunt, ipso in ter-* *ris superstite, & tamen (ipso teste istius editionis auctore) hæc apud*

se

se asseruante, ante hunc diem apparuerit. Eram ergo incredibili gaudio perfusus, quòd non tantùm Illustriss. Principis auctoritate, verùm etiam & tantorum virorum consilio, & ipsorum dissidentium consensu, talem istius tragœdiæ φόρτωσιν & δύσιν tam placidæ catastrophe tandem esse consequuta. Ecquis autem, nisi discordiæ & rixarum inter ipsos etiam fratres auctor malus ille spiritus, sanctum istud gaudium, excitata rursus ex ignis illius sopiti cineribus flammula, nunc interturbauit? Quod enim audio huic infaustæ editioni D. Erasti viduam, & Casseluerii nunc cuiusdam uxorem, prætexere, quòd videlicet mandatum hac de re, adhibito etiam iureiurando, à marito moriente acceperit, quis facilè credat? Nam illum qui superstes néque Heidelbergæ, neque Basileæ quicquam non paucis annis nouit: qui fortassis ab eo tempore nunquam suum exemplum inspexerat, utpote quod inter eius schedas, tineis & blattis expositum, & crebris lituris oblitum, latuisse hic ipse typographus testetur: qui me Basileæ ad se accedentem, nulla prorsus facta istius disceptationis mentione, tam amicè complexus est, vt etiam Genevam brevi se visurum, Deo fauente polliceretur: qui clarissimos, & sibi amicissimos viros D. Iacobum Grynæum, & D. Theodorum Zuuinguerum ad lectum habens assidentes, illum quidem annuæ, hunc verò corporis etiam medicum: nullum tamen cum iis hac de re verbum fecit: cui denique, sicut ex certis testibus constat, vix ipsa mors lethali morbo se laborare persuasit: illum inquam, ecquis quum iam animum exhalaret, &, vti Christianum hominem facere decuit, toto iam pectore sursum anhelaret, existimauerit de hac mouenda Camarina vel leuissimè cogitasse: nedum vt de huius scripti inter schedas iacentis editione clam, & nullo prorsus adhibito teste, iusiurandum ab vxore exigeret? Demus tamen id ab illo non satis iam sibi constante factum. Quid hic iergiuersaris Casseluetre? An enim ausis inficiari quod superioribus nundinis, quum paulò seriùs istas merces Francfurtum aduexisses, non vni affirmasti; nempe à te ipso, siue ab alio abs te conducto, vxoris tuæ tum mandatum Erasti, tum datam à se fidem vrgentis importunitate coacto, hunc librum editum produci? Cedò igitur qua conscientia duplicem hic personam sustines? Idem enim is es typographus, qui in epistola huic editioni præfexa, totum illud dissimulans, hunc librum, diu abs te perquisitum, & summa diligentia, opera, industria vix apud heredes, à quibus negligeretur, immensum, ab iisdem, pretio ipsis depenso, idem videlicet venditor & emptor, vel potius istorum neutrum, comparasse te testaris. Istam verò fabulam quinam cum illo mandato & iureiurando conciliabis? Quid? ipsane Veritas, cuius studio te fuisse ad hanc editionem impulsum, eâdem fide commiseris, tibi

suasit, an potiùs boni & pij homines illi, quorum desiderium noluisti tanto bono defraudare, auctores tibi, Castelueire, fuerunt, vt clam ista excuderes? vt pro Londini, vel alterius in Anglia ciuitatis nomine Pesclauium fictitium supponeres? vt partim ἀνώνυμος, partim repente Batavi nescio cuius Solstaceteri larua tectus, in scenam prodires? Istas, inquam, fraudes, istas falsitates an in veritatis, ac non potiùs αἰσχροκερδείας & impudentiæ schola didicisti? Bezam autem, cuius nomen nusquam Erasmus ipse sibi exprimendum putauit, quid attinebat nominare? quid te præterea vel istius epistolæ scriptorem conductitium, bone vir, aliud impulit quàm mala mens, & malus animus, vt indicem, conuitiorum & calumniarum plenum, adiiceres? Peruersam enim istam regnandi cupiditatem, quam prætermittere te non permisit vel tua vel emptitij tui nomenclatoris bilis, quominus existimem vel ad me, vel ad peregrinantes istic fratres pertinere, præsens noster status facit, quem nemo sanè nobis quantumuis inimicus inuideat. Tu verò videris, ne sic alios potiùs non tam procul remotos perstringere ingratus malueris, quorum patientia iampridem abuteris. Deerat denique ad hoc facinus aliud præterea flagitium, nempe vt priuatas magnorum virorum literas aliquot, solicitus iste veritatis assertor, huic Erasmi libro adiiceres, plures etiam alias habere se interminatus: nempe vt veluti copiosiore materia ingesta, redundans istud, quod nonnulli parant, in cendium tanto longius & latiùs serpat. Priuatæ autem istæ amicè & familiariter scriptæ diuulgatæ, quid aliud est, vt iampridem quidam est meritò conquestus, quàm tollere è vita vitæ societatem, & amicorum absentium colloquia? Quàm enim multa siue loca siue seria solent esse in epistolis, nullo modo diuulganda? quàm multa ambiguè, nec satis meditatè effunduntur in amicorum sinum quæ nos ipsi postea nunquam dicta vel scripta mallemus? Istas autem epistolas, qua conscientia vel emere tu, vel D. Erasmi heredes vendere potueritis? Sed de hac editione plus satis fortasse: quæ tamen prætermittere non potui, nec debui, vt omnes, postquam cognouerint quo spiritu ducantur isti communis Ecclesiarum sanctarum pacis & concordiæ hostes, studium veritatis præ se ferentes, eo sibi prudentiùs ab ipsorum insidiis caueant. Iam autem ad vos ipsos me conuertam necesse est, quorum iudicio & auctoritate adornare suum istud ἔργον μάλιστ' ausi sunt isti, vt nostras, id est Gallicas, Anglicas, Scoticas, Belgicas, Germanicas non paucas, Helueticas, Rhæticas & Sabaudicas Ecclesias, eôdem fidei nexu inter se coniunctissimas, quasi suis ipsarum telis confixas, aut prorsus euertant, aut in horrendam ἀταξίαν, irrito tamen, vt confido, conatu, transforment. Vósne igitur beatos nunc cum Iesu Christo laborum vestrorum fructum perci-

pientes

pientes D. H. Bulling. & D. Rodolphi Gualteri spiritus, nuper non tantùm Tigurinæ, sed Christianæ totius Ecclesiæ luminaria vos, qui in terris nobiscum peregrinantes, ne hic ignis accenderetur tam bonam operam navastis: nunc, si qua vos in cœlis humanarum rerum cura tangeret, existimauerim istorum audaciam vestris priuatim scriptis epistolis ad renouandum hoc incendium abutentium subscriptiones, aut eorum scriptorum quæ superstites supprimi, pacis & communis concordiæ causa, curastis, editionem, probaturos? Absit hoc verò à nobis, apud quos potiùs viget, & perpetuò vigebit sancta vestri memoria summis illis vestris de Christiana totæ Ecclesia meritis, & perpetuæ ac inuiolabili nostræ cõiunctioni conueniens. Atenim, inquiet istorum aliquis, probatæ sunt tamen illis D. Erasti theses. Neque verò inficior theses istas non itidem illis vt nobis displicuisse, ac etiam illos aliquantulum in excommunicationis vsu & presbyterij auctoritate, non quòd ista per se damnarent, sed quòd ipsorum abusum verentur, ad D. Erasti sententiam deflexisse. Quis enim hoc nobis dabit, vt omnes singulis de rebus, præsertim de quibus controuerti salua fide ac religione potest, idem penitus sentiamus? Ecquis autem est historiæ sacræ tam ignarus, vt (quod tantorum virorum pace dictum velim) non tantùm dissensiones, sed etiam vixas inter Epiphanium & Chrysostomum: Theophilum & Nazianzenum: Theodoretum & Cyrillum, partim per istiusmodi Satanæ emissarios, partim quòd & ipsi homines essent, exortas & longissimè quoquo progressas nescias? Idem autem etsi non semel inter Tigurinæ & huius Ecclesiæ præstantissimos pastores efficere conatus est ille discordiæ Spiritus, tamen, Dei beneficio, tantum abfuit vt hoc obtinuerit, vt contrà tanto confirmatior euaserit mutua illa nostra in omnibus coniunctio. Optimis enim illis beatiss. memoriæ fratribus, summa tum pietate, tum eruditione præditis, & quos hæ ipsæ literæ testantur nihil magis quàm Ecclesiarum pacem procurasse, ecquis crediderit in mentem vnquam venisse, vt probarent, quod non tantùm scribere, sed etiam inculcare, à bile certè potiùs quàm à ratione dictatum, cuius est noster Erastus: nimirum Excommunicationem & Ecclesiasticum presbyterium, commentum esse purè humanum, sanctis scripturis, & toti Israëliticæ, ac Christianæ puræ Ecclesiæ inauditum, meram tyrannidem, quam regnandi cupiditas aduersus Magistratum in Ecclesiam inuexerit: non aliud esse denique quàm Deum illum Maozin quem Daniel prædixerit? Agedum enim quàm aliter prorsus eadem re in contrariam prorsus partem senserint, ex iis ipsis epistolis audiamus. Sic igitur D. Gualterus in suis ad Datenum literis, totidem istis verbis scribit, Basileæ anno 1536, mense Februario in comitia publica vocati coïere præ-

cipui omnes Ecclesiarum Helueticarum ministri, qui quum, præsentibus etiam beatæ memoriæ D. Capitone, & Bucero Argentoratensis Ecclesiæ ministris, & legatis Neocomensis Ecclesiæ, inter se diu & multum contulissent, in hanc tandem sententiam conuenerunt omnes, quæ & nostra confessione vltima est exposita. *Confessionis autem illius Helueticæ, cui non vicinæ tantùm, verùm etiam remotissimæ quæque gentes tandem atque nos orthodoxam veritatem profitentes, & hæc in primis Ecclesia Geneuensis subscripserunt, hæc totidem sunt verba, cap. xviij.* Quoniam valde necessaria est disciplina in Ecclesia, & vniuersa vetus Ecclesia vsa est excommunicatione, & iudicia Ecclesiastica extiterunt in populo Dei, in quo hanc disciplinam exercuerunt homines prudentes, & Dei timentes: idcirco ministrorum quoque munus est ad ædificationem Ecclesiæ disciplinam istam adhibere, pro temporum & status publici ratione, & prout necessitas requisierit. Est autem hac in re semper obseruanda hæc regula, vt omnia in Ecclesia ad ædificationem decenter & honestè fiant absque tyrannide & seditione, ita vt néque foueantur vitia, neque imprudenter quicquam fiat, Apostolo testante datam esse Ecclesiæ potestatem, non ad destructionem, sed extructionem. Et ipsis etiam Angelis prohiber Dominus ne zizania omnia eradicent, ne fortè triticum cum zizaniis euellant. *D. autem Bullingerus à D. Erastio rogatus quando primum cœperint homines propter vitæ delicta excommunicari,* Ego verò, *inquit,* satis hoc esse vetustum video, quia quum Ecclesia careret Magistratu, citò consilia iniit quomodo sceleratos coërceret: nec illis aliud visum est commodius remedium quàm excommunicationis. *Hæc ille in altera ad Erastium epistola. Idem autem D. Gualterus,* Nulla vnquam, *inquit,* fuit concertatio de excommunicatione inter nostram Tigurinam Ecclesiam & Geneuensem nobis prædilectam. Neque putes nos ita esse dementes, vt hîc omnia ad rigorem illum Geneuensis Ecclesiæ exigere aut reuocare velimus. Etenim quum ante annos aliquot turbæ essent in illa exortæ Ecclesia graues: & nos ea de re requisiti occasionem habuissemus nostra obtrudendi, aut commendandi salem: attamen sequuti sumus, vt par erat, pacis consilia. Itaque neque illorum inchoatam disciplinam voluimus impedire, rigidam aut lentam nuncupare, neque occasionem aduersariis offerre fœuiùs tumultuandi. Nam vt in alienas Ecclesias nullum nobis sumimus imperium, ita sanè, si qui

in

in suis Ecclesiis, quorum ratio illis rectiùs quàm nobis perspecta est, aliquos citra turbam & querelas à Cœna per disciplinam suam splendido cum fructu excludunt, id iudicio Ecclesiæ, ipsorúmque fidei permittimus. *Hæc ille pro Christiana suæ tum prudentia tum æquitate. Quid plura? ne quis amplius nobis D. Gualteri, hominis de Ecclesia Dei quàm optimè meriti, & fratris mihi ad extremum vsque halitum coniunctissimi auctoritatem obtrudat, quasi thesibus istis, & refutationi sit propriè & simpliciter assensus: age ex ipsius homiliarum archetypis nuper editis discamus quid de plerisque Noui Testamenti locis à me pro excommunicatione & presbyterio citatis, & à D. Erastio exagitatis, senserit. Nihil magis vrges D. Erastus quàm per* TRADERE SATANAE, *&* TOLLI E MEDIO ECCLESIAE *interfectionem intelligi, D. Gualterus contrà homil. in 1. ad Corinth. 5. 3.* Decreuit Apostolus, *inquit*, incestuosum hunc tradendũ esse Satanæ, id est ex Ecclesia eiiciendũ, vt Corinthij tanta ignominia liberarentur, & scandalum remoueretur. Ratio huius locutionis est, quia extra Ecclesiam Satan regnat. *Idem homil. 7. in 1. ad Timot. 1. 20.* Quia Hymenæus & Alexander fidem aliorum subuerterant, traditi sunt Satanæ, id est excluſi à fidelium commercio. 1. ad Corinth 5. & Matth. 18. *Contendit D. Erastus nullum fuisse Corinthi presbyterium, id est cœtum Ecclesiasticum ad quem relegatus fueris incestuosus. Contrà D. Gualterus noster homil. illa 35.* Potestas illa tradendi Satanæ erat penes totam Ecclesiam, quæ tamen (ne confusio fieret) per delectos agebat ex senioribus 1. ad Timot. 5. vide etiã Tertull. Apol. 39. Ὀλεθρον τῆς σαρκὸς *D. Erastus de vltimo capitis supplicio interpretatur, At D. Gualterus*, Paulus iubet Satanæ tradi incestuosum ad interitum carnis, id est vt caro domita ac mortificata spiritui locum daret, & homo posset consistere in die Domini. *Ita factum cum isto incestuoso. 2. ad Corinth. 6, vbi* Ἐπιτιμία, *id est obiurgatio, siue increpatio, à traditione Satanæ manifestè distinguitur, ad quam vsque quominus Corinthiorum presbyterium progrederetur, nisi rursum audita Pauli sententia, obstiterat obiurgati incestuosi seria & ingenti mœrore testata pœnitentia. Neque verò dixit Paulus obiurgationem hanc* ὑπὸ πλείονων *factam, id est ab omnibus, sed* ὑπὸ τῶν πλειόνων, *nempè à seniorum cœtu in illo Ecclesiæ delecto, quod etiam articulus appositus ostendit. Hinc autem etiam manifestè liquet Matth. 18, 17, nomine Ecclesiæ non vniuersalem cœtum, sed Ecclesiasticum synedrium intelligi, cui Christianum presbyterium successit: contra quàm turbator ille ecclesiarum, à D. Erastio, 70. pag.*

lineas

huius refutationis nominatus, senſit, non falsò tantùm, verùm etiam ridiculè, niſi exiſtimare malimus toties congregatam fuiſſe totam Eccleſiam, id eſt pœnè ſemper iudicandi cauſa ſedisſe: quoties nimirum quiſpiam qui in fratrem peccarat priuatis admonitionibus non cedebat. Vult D. Eraſtus Gal 5.6. per excisionem intelligi interfectionem: contrà D. Gualt. homil. in eam epiſtolam 5. Quoniam, *inquit*, iſtis ita placebat circumciſio vt Chriſti meritum euacuarent, optat eos prorſus abſcindi, nimirum ab Eccleſiæ conſortio. *Diſplicet D. Eraſto allegorica applicatio azimorum ſecti, quæ tamen Apoſt. auctoritate nititur. 1. ad Cor. 7. Contrà D. Gualt. homil. 35.* Excommunicatio erat excluſio legitima à ſocietate Eccleſiæ (*ac proinde Chriſti*) vt qui eam offendiſſet, emendaretur, & ſeruaretur. Ité ne contagio ad plures ſerperet, *Et homil. 36*, Ita innuit Paulus diſciplinam neceſſariam eſſe, ne contagium peccati ſerpat: quod fit permiſſa impunitate, cuius ſpem facit peccantium multitudo. *Et homil. 37*, Fermenti nomine intelligit Apoſtolus peccatum, & quicquid cum eo coniunctum eſt. *Ex iſtis autem, vt ex veterum & recentiorum interpretationibus, immo ex re ipſa, conflare ſatis arbitror, hyperbolicum ſaltem fuiſſe noſtrum hunc typographum, quum hæc D. Eraſti ſcripta, vtilitatis ſanè ſuæ cauſa, commendaret à præcipuorum noſtri temporis theologorum auctoritate*, & eò quòd viris doctis & piis, atque à partium ſtudiis alienis mirum in modum probarentur. *Minimè, tamen nego maximos illos viros, vt & D. Wolfgangum Muſculum, (quorum alioqui pietati & doctrinæ præſtantiſſimæ, neſcio an quiſquam plus tribuat quàm ego) exiſtimaſſe excommunicationem olim penes presbyterium fuiſſe, & ad excluſionem vſque à Cœna Domini presbyteros ideo fuiſſe progreſſos, quòd Chriſtianum tunc Magiſtratum non haberet Eccleſia, cuius auctoritate tum capitalia iudicia exercerentur (quod ſi Corinthi factum fuiſſet, nulla fuiſſet opus Pauli de illo Satanæ tradendo denuntiatione) tum alij ἀτακτους, leuioribus offendiculis peccantes, citra excluſionem à Cœna, ſatis coërcerentur: quod quum vtrumque præſtare Chriſtianus Magiſtratus nunc poſſit ac debeat, carere nunc quoque poſſe Chriſtianas Eccleſias hac diſciplinæ ſeueritate: Sic, inquam, illos, quod tamen adhuc à D. Eraſti ſententia plurimum abeſt, ſenſiſſe minimè nego: ſed ita, vt neque ſcripturæ locos nouis, & ad hanc ſuam ſententiam accommodatis interpretationibus applicarint, neque aliter ſentientibus præiudicium vllum allatum voluerint: & illos ſatis appareat, Catharos quidem & Nouatianos noſtro ſeculo, nec procul Tiguro, in illis furioſis Anabaptiſtis, renatos, & Pontificiam tyrannidem radicitus euellere ſtudiſſe:*

studuisse: excommunicationem autem ipsam moderatè & legitimè ex verbo Dei cum fructu administratam minimè damnatam voluisse. Esse verò de hac re plenissimè nunc disserere minimè constituí: tamen quod apud illos adhuc superstites, ne tantillum quidem idcirco læsa summæ nostrorum animorum coniunctione perpetua, non dissimulaui, ne nunc quoque fas sit mihi reticere, non alio sanè animo quàm vt verè piis ac doctis, vbicunque nunc sunt, theologis Christiano spiritu ista dijudicanda proponam. Quæro igitur primùm an non habuerit sanctos suos Magistratus vetus ille populus Dei: deinde an non fuerit nihilominus exclusio à Dei cultu aduersus impuros diuinitus demandata, & ab Ecclesiastico synedrio distinctè vsurpata. Prius illud quidem certè negari non potest. Alterum, etiamsi D. Erasto largitus essem ad solos externa illa, & ceremoniali pollutione contaminatos pertinuisse, nihil aduersum me propterea concludi posset: cui satis est ostendisse, sancto quoque sedente Magistratu, fuisse in Dei populo exclusioni à sacramentis locum. Sed hac in re illum hallucinatum fuisse demonstrant tot leges de sacrificiis pro peccato, peccato, inquam, omnis generis, siue per errorem, siue per ignorantiam iuris, siue per ignorantiam facti, siue per malam conscientiam admisso, latæ, vt Leuitic. 4, 2. 13, 22, 27. & 5, 4. 17. & Numer. 15, 22, 23. idque ad legis quoque secundæ tabulæ transgressiones pertinuisse: Et pœnis ciuilibus fuisse tum confessionem peccati apud sacerdotes, tum expiationem per sacrificium superadditas, apertissimè dicitur Leuitic. 6. vsque ad vers. 7. & Numer. 5. vers. 6. 7. & 8. Expiatio verò necessariò præsupponit immundiciem, & immundiciem sequebatur exclusio ab altari: quod quid aliud erat quàm nostra maior excommunicatio? & ista apud sacerdotem diserte mandata confessio, quid aliud erat quàm idonea respiscentiæ testificatio: quum simpliciter legalibus immundiciis impuri, quos cum Abstentis conferre possumus, aqua lustrali aspergi iuberentur: nedum vt (quod censet D. Erastus, & fortassis etiam ab aliis nimiùm vrgetur) vnusquisque impurus ad altare accedens, priuatæ suæ conscientiæ probationi relinqueretur. Atenim, inquies aliquis, si hoc ita est, quum nemo fueris qui non quotidie in præcepta moralia aliquo modo peccaret, quid aliud oportuit, quàm altare sacrificiis pro peccato dies & noctes singulis momentis calere? Immò non ita est, legislatore ista sacrificia diserte adindicata & nota, ac proinde cum offendiculo coniuncta & iudicata restringente, Leuitic. 4. 14. & 23. & 28. Hæc autè quum ita se habeant, si Israëliticus Magistratus disciplinam illam Ecclesiasticam non impediebat, sed, vt illius custos ac vindex, capitali etiam interdū aduersus indomitos ἄτακτους supplicio adiuuabat Deut. 17. 12: non video quidem ego cur idem non sit de

Christiano

Christiano Magistratu statuendum: & quod ius fuit Synagogæ sub lege, cur non valeat in Ecclesia sub Euangelio, auctore Christo Matth. 18. 17. Præterea quis hoc vlli Ecclesiæ præstabit, vt Magistratus desit, & turpi sua vita, non sine manifesta contagione (vt nimium sæpe vsuuenit) Ecclesiam totam contaminantes coërceat? An verò propterea expectandum erit vt hoc fermentum totam massam corrumpat? Admoneantur, inquies, à pastoribus. Sed quidsi, vt plerique istiusmodi homines consueuerunt, priuatas alicuius, vel ipsius Ecclesiæ, id est presbyterij, obiurgationes securè contemnens quispiam, ad mensam Domini nihilominus, sese tanto magis horrendo Dei iudicio obstrictiurus, accedat: an sedulo, & gregis sui studioso pastori, vel potius presbyterio, committendum erit, vt oviculam aberrantem patiatur sacrorum pollutione in suam perniciem vltrò præcipitem ferri? Certè non ita faciendum iudicauit Paulus, non simpliciter aliquid de traditione Satanæ quamuis à se decreta remittens, sed addita demum firma ratione cur increpatio, non ὑπὸ τῶ πάντων, sed ὑπὸ τῶ πλειόνων facta, sufficeret: nempe ne verè respicientem ac proinde non excommunicatione, sed venia egenem, nimia tristitia absorberet: minimè alioqui vel in ipsius incestuosi, vel Corinthiaci presbyterij moderatione acquieturus. Nam ad pastorem quidem culpæ eximendum sufficit diligens & conueniens peccatoris reprehensio, Ezech. 3. 18. sed ad peccantis acriore remedio egentis salutem (qui est vnus ex præcipuis excommunicationis finibus) nec etiam ad exemplum, nec ad contagionem impediendam satis est. Multum autem non interest profectò inter eos qui Christianum Magistratum non habent, & eos quorum Magistratus, professione quidem externa sit Christianus, re ipsa verò sui in Ecclesiam officij immemor, & nihilo cæteris Ecclesiæ morbidis ouibus purior. An hîc igitur vtendum erit προσωποληψία, vbi maximo cum Ecclesiæ periculo peccatur? Denique negari, nisi perperam, non potest, ciuilibus externis pœnis, nisi Dei Spiritus accedat, nihil aliud obtineri posse, quàm vt formidine pœnæ à peccatis aliquatenus abstineatur, ac proinde peccati non radicem, sed ramos duntaxat sic amputari repullaturos, vt pote quæ vnica spiritus Sancti virtute, per Dei verbum tum publicè, tum sigillatim prædicato, & vsque ad diuisionem animæ & spiritus penetrante resecetur. Eius autem cum auctoritate publica, adhibendi remedij munus constat, non ad ciuilem Magistratum, sed ad Ecclesiasticum ordinem pertinere: quo notum etiam est Tigurinam Ecclesiam nunquam caruisse, partim ex pastoribus, partim ex illustribus ciuibus legitimè delecto, & prout fert illius præclaræ Ecclesiæ ædificatio, suis legibus circumscripto. Quum autem non immeritò metuatur & præcauendæ

sit

sit aliqua in istiusmodi quoque iudiciis Ecclesiasticis præuaricatio, vel aperta etiam tyrannis illa quæ iam olim Prophetas in Ecclesia Israëlitica, & à non paucis seculis tot sanctissimos viros in Ecclesia Christiana tam crudeliter persequuta est, & nunc quoque summa rabie persequitur: qualis etiam in synodis, & quidem frequentissimis non semel vsuuenit: quòdnam, quæso, certius & aptius remedium auertendæ vel cohibendæ istiusmodi, siue tyrannidi, siue oligarchiæ adhiberi potest, quàm delectorum & pastoribus adiunctorum prudentum, & spectatæ in primis pietatis ciuium aliquorum auctoritas? Et quum fieri quoque ab vniuerso sic rectè constituto Consistorio possit reis delatis iniuria, nihil obstat quominus, vbi synodi cogi possunt, ad synodum pronocetur, sicut vetustis quamplurimis canonibus (non certè repudiandis) cauetur, & in amplioris ditionis Ecclesiis obseruatur. Vbi verò nullus est locus synodis, vt in angustioribus territoriis, idoneis tamen aliis remediis, citra vllam ordinis Ecclesiastici violationem, Christianus Magistratus, vt tabulæ vtriusque, & præsertim Ecclesiasticæ ἐυλαξίας custos ac vindex, prospicere conquerentibus potest. Vt autem omnes etiam norint an hanc disciplinam, ea qua decet, & quam huius loci & temporis circunstantiæ requirunt, moderatione ad ædificationem adhibita, hæc Ecclesia Geneuensis exerceat: placuit hoc loco paucis & summatim omnem illius formam subiicere: minimè id quidem, vt, quod nobis nunquàm in mentem venit, cuiquam illam obtrudam, sed vt omnes intelligant iure an iniuria nobis nimia seueritas, & quasi tyrannicum quiddam à nonnullis obiiciatur: quum potiùs, si hæc nostra cum Gallicarum, Scoticarum, Belgicarum Ecclesiarum ordine ecclesiastico comparentur, lentitudinis etiam alicuius accusari possimus. Consistorium igitur habemus, in quo non soli verbi ministri sedent iudices, sed duplo plures, partim ex minore, partim ex maiore Senatu, idque non absq; publica ad populum præeunte promulgatione, delecti. Quod ad receptæ in Ecclesia doctrinæ dogmata, ἑτεροδιδασκαλίας, amicè & fraternè primùm monentur: si acquiescant, quiescere iubentur sine vlla infamiæ nota: si pertinaces fuerint, id est admonitio altera magis seria non profuerit, tum ad Consistorium vocantur: cui si pertinaciter resliterint, tunc demum illis vt excommunicatis Cœna Domini, vt nostræ à qua dissident doctrinæ tessera, interdicitur, & de re tota Senatus admonetur. Idem in eos statuitur, qui manifesto sacrorum conuentuum contemptu profanam suam mentem patefaciunt. Quod ad singulorum mores spectat, in occultis vitiis placidæ admonitiones, sicut Dominus præscribit, adhibentur: nec ad Ecclesiæ iudicium vocatur quisquam ob priuatum delictum, quod cum publico offendiculo coniunctum non sit, nisi accedat priuatarum moniti-

onum

enum pernicax contemptus. Contemptores autem rursus ab Ecclesia commonefacti, & legitimis testimoniis convicti, si pro veniæ deprecatione reprehensi pernicaciam opponant, iubentur, ex Christi verbo Matth. 18. 17. donec mutatum suum animum testentur, à Cœna Domini abstinere. Quod ad manifesta & famosa peccata spectat, quæ dissimulare nequit Ecclesia, vocatur quidem propter aliorum exemplum ad Consistorium is qui sic deliquit, sed petita venia dimittitur. Quod si peccatum rursum severius obiurgatus non agnoscat, nec emendationem promittat, tum, vt in Ecclesiæ scandalo pergens, à sacra Cœna, quæ mutuæ cum Christo & proximo coniunctionis obsignatio est, arcetur, donec resipiscentiæ signum dederit. In grauioribus flagitiis, & seueriore pœna dignis, quàm vt solis verbis castigentur, legitima præeunte cognitione, sic prolapsi ad breue aliquod tempus, ædificationis publicæ causa, & vt apertiùs cunctis constet de ipsorum resipiscentia, sese coram Deo humiliare, & à Cœna iubentur abstinere, donec seriò suum ipsis peccatum displicere liqueat. Publica verò & toti populo denuntiata excommunicatione, non nisi in pœnè deploratos homines vtimur: quamuis apostatas, etiam resipiscentiam suam in Consistorio testatos, non nisi in publico Ecclesiæ cœtu veniam petentes recipiamus. Et in his quidem omnibus sic intra fines Ecclesiastici regiminis sese continet Consistorium, vt verbi ministri Spirituali gladio contenti, ne tantillum quidem ex iure Magistratus delibent. Et hæc quidem illa est disciplina Ecclesiastica, quam vt diuinitus constitutam, & perpetuo Ecclesiæ Christianæ vsu, quamuis non pari semper, & vbique seueritate confirmatam, aduersus Erasti theses hoc libello tueor, olim quidem iis de causis, quas initio commemorau, suppresso, nunc autem ob id vnum euulgato, vt eo cum nunc edita Erasti refutatione collato, Christianus lector vtranque sententiam certius cognoscat, & tanto facilius expendat. Si quis autem erit qui refelli quoque à me debuisse huius refutationis argumenta existiment: aut qui ab iis refutandis idcirco abstinuisse me clamitent, quòd mihi firmæ responsiones desint: istos quidem nihil moror, hoc vnum captante Satana & ipsius administris, vt altercationibus mutuis, & scriptitandis Apologijs crescant discordiæ, quarum veneno ipsi pascuntur: ab illis autem peto, primùm vt me in ea nunc ciuitate & Ecclesia versantem, quam tanta bellica tempestas premit, aliis magis necessariis rebus animum totum intendere non mirentur: deinde vt me iamprident istarum concertationum pertesum, quibus in rixas euadere potiùs quàm mitigari, nedum extingui controuersias apparet, non inuiti patiantur, vel partes istas minùs occupatis aliis fratribus relinquere, si fuerit opus, obeundas: vel tacitum expectare, donec aut Ecclesiæ suæ sic domi & foris

foris vexatæ precibus hoc tribuat Dominus, vt lites omnes istæ communi aliquo legitimo Ecclesiarum consentu decidantur: vel mihi denique septuagesimum primum iam annum in terris peregrinanti, portus ille beatæ & perennis quietis, ad quem totus anhelo per clementissimi Seruatoris mei misericordiam patefiat. Etsi enim nunquam sciens prudens, Deo fauente, veritati tuendæ sum defuturus, atque adeo, si fortè penitus fuerit opus, ad hanc quoque refellendam refutationem accessurus: nunquam tamen id faciam nisi summa coactus importunitate: & ita quidem vt quam D. Erasto viuo, quantumuis à me dissentienti, amicitiam exhibui, mortuo quoque præstem, & omnis eius qua in me immerentem inuectus est, asperitatis immemor, rem ipsam nudam persequar. Immò (quod absque vlla καυχήσει dictum velim) futurum non despero, vt qui ab omni præiudicio liberi, & sincero veritatis indagendæ studio impulsi, meum hunc libellum diligenter perlectum expendent, sibi magna saltem ex parte satisfactum arbitrentur: nec vllam fortassis ampliorem contrariorum argumentorum refutationem requirant. Sed quid si ipsius D. Erasti testimonio euincam totam disceptationem istam aduersum me, & mecum sentientes omnes, non ἐξ ἀνάγκης, sed ἐκ προαιρέσεως fuisse ab ipso tum in thesibus, tum in hac disceptatione susceptam? Hæc enim sunt ipsius verba in huius refutationis præfatione, Nos de illis, *inquit,* solis loquimur peccatoribus, qui doctrinam intelligunt, probant, amplectuntur, peccata sua se agnoscere verè atque odisse aiunt, & sacramentis secundum institutionem Christi cum Ecclesia vti cupiunt. Quod meminisse te velim etiamsi non semper ego adiecero. *Hæc, inquam, sunt illius me, quamuis non nominatim, compellantis verba, quæ si professus esset initio, & eorum inter scribendum semper meminisset, quænam vnquam illi vel cum Heidelbergensibus fratribus, vel mecum, vel cum quoquam denique Christiano pastore fuisset de excommunicatione controuersia? nisi fortè (quod sanè non arbitror) tam immanis vnquam vllus Ecclesiæ verus pastor fuit, qui verè sese resipiscere testantibus, & animo serio ad Cœnam Domini se admitti requirentibus, manum porrigere, & in terris, vnà cum Angelis in cœlis de lucrifacto fratre gaudentibus, gaudium suum testari recusarit. Immò quid penè grauius accidere cuiquam vero pastori potest, quàm quum ouiculam contagioso morbo laborantem, & leniores omnes medelas & commonefactiones recusantem segregare à reliquis cogitur? Segregatur autem excommunicationis denuntiatione ab ouili ouicula quæ sese iam antea suis inquinamentis segregarat: nec segregatur vt foris maneat, sed contrà, vt suæ tandem aberrationis pertesa, & boni, quod deseruerat, desiderio incensa, ad gregem reuerta-*

ur. Denique sic contumaciter peccare pergentes indignè ad Cœnam Domini, certa cum sui pernicie, accedere idcirco excommunicati prohibentur, vt dignè ad illam maximo suo bono accedere tandem doceantur: siue vt à mundo, ad quem deflexerant, recedentes, sese rursum in Ecclesiæ caulam, nisi quidem per eos steterit, recipiant. Sed de istis fortasse plus satis. Quod superest, quum illum nostræ salutis perpetuum hostem, instauratæ veritatis vi in magnas angustias redactum, nihil non conari constet, vt quibus artibus hactenus coalitionem plenam Ecclesiarum ex ipsius faucibus & unguibus diuinitus ereptam impediuit, iisdem illas planè inter se committat: in quo iniquitatis mysterio, multorum etiam incautorum & nihil tale cogitantium opera, prout iampridem consueuit, abutitur: ego licet omnium orthodoxæ Ecclesiæ Dei ædificio subseruientium minimus, vos omnes, quibus oculos Deus ad cernendam, & pedes ad sequendam veritatem tribuit, oro, obsecro, obtestor per illud suauissimum Dei Seruatoris nostri nomen, tum pastores & doctores, tum verbi diuini auditores vt sedulò, & quàm diligentissimè, etiam atq; etiam vobis & vestris gregibus ab omnibus factiosis, ambitiosis, & verbum Dei sophisticè, vel admixta prophanæ philosophiæ vappa caponantibus, siue suam arrogantiã apertè prodentibus, siue sub zeli specie grassantibus, caueatis. Quod si quid controuersiæ vel in doctrina, vel in disciplinæ forma moueatur: (substantiam enim eius non minùs quàm doctrinæ, habemus verbo Dei satis plenè & perspicuè explicatam) tum non statim cuilibet quiduis scriptitare concedatur, & schismatibus, quæ tandem in hereses desinunt, fores aperire: sed probatis contradicentium spiritibus, & idoneis, prout res tulerit, adhibitis remediis, veritati simul & Ecclesiæ paci consulatur: quæ si non satis valuerint, tum in communi, quid sit statuendum, in legitimo fratrum consessu, ex puro Dei verbo, decernatur: præscribente nobis hanc regulam Apostolo 1. ad Corinth. 14. 32. Id enim si diligenter obseruetur, etiamsi furere propterea Satan non desinat, & fastuosi spiritus isti turbas mouere non desistant, habebunt tamen pij in quo acquiescant: & infinitis offendiculis occurretur. Vos autem Reges, Principes, cæteriq; Magistratus, quos Deus Opt. Max. hoc insigni beneficio affecit, vt Ecclesias orthodoxas habeatis à magnis illis diuinitus excitatis Dei seruis nostro tempore instauratas, &, prout tempora ferre potuerunt, constitutas: patimini me (obsecro) quantuuis vilem homunculum, tamen vnum ex Dei seruis, quàm humillimè à vobis supplicem petere quod Rex Regum à vobis exigit: nempe vt præ cæteris omnibus rebus amplificationi ipsius Regni studentes, vestrisque studiis cum verè piorum & probatæ tum doctrinæ, tum vitæ pastorum zelo & diligentia con-

iunctis

iunctis (quas arbores vobis difficile non fuerit diligenti inspectione ex earum fructibus ab aliis dignoscere) sacri ministerij veri custodes ac vindices sitis: scholas, quæ sunt Ecclesiæ seminaria nullis nisi sedulis simul & verè piis doctoribus regendas committatis: tumultuantes & ex ipso quoque pastorum ordine nimiùm sæpe, (vt passim admonemur, & tum vetera, tum nostra tempora tristissimis exemplis docent) collectos Satanæ emissarios, maturè pro vestra auctoritate cohibeatis: conuentus, (qui, legitimè gubernati, sunt Ecclesiarum pacis vinculum) sanctè cogi & celebrari diligenter curetis: in rebus maioris momenti, & ad communem Ecclesiarum statum pertinentibus, Apostolorum exemplum, & veterum quoque orthodoxorum Imperatorum morem sequuti, vicinarum saltem Ecclesiarum consensum, quod eius fieri potest ac debet, fouendæ paci communi necessarium, prudenter adhibere ne grauemini, vt omnes Ecclesiæ sint velut vnum corpus, vnico Christi Spiritu animatum. Tu verò Domine & Seruatore noster vnice, Iesu Christe, Patri ὁμόσπ τῷ σωμάδι & membrorum: tibi, ex Patris dono, Spiritus Sancti nexu coniunctissimorum caput: tam promissorum tuorum memor, quàm nostrorum peccatorum oblitus, rabiem Satanæ & ipsius administrorum coherce, infirmos corrobora, vacillantes sustine, collapsos erige, tuos omnes, in asperrimis istis tempestatibus intus & foris sæuientibus, inuicta tua illa bonitate simul & potentia stabilitos conserua, tantisper dum vltimo illo die hereditatem, nobis tuo sanguine partam, reipsa tecum in æternum cernamus, Amen. Geneuæ à Duce Sabaudo, contra ius & fas omne circunuallatæ, Kal. Mart. anno temporis vltimi

1590.

DE PRESBYTERIO ET EXCOMMVNICATIONE DIVINITVS IN *Ecclesia Christiana institutis disputatio, centum manuscriptis Thomæ Erasti doctoris medici thesibus iam pridem opposita, & nunc primùm edita.*



DISCIPLINA, id est, certo quopiam ordine prorsus opus esse in Ecclesia, & eius rationem ex verbo Dei petendam esse, nunquam inter Christianos dubitatum est. Quænam autem illa sit, quæ ipsius partes, quis legitimus vsus, tres causæ præcipuæ sunt, cur hodie ambigatur. Vna omnium ætatum communis, quòd homines nihil minùs libenter ferant, quàm Domini iugum: altera, quòd, quum constet hac occasione Pontificiam tyrannidem eò vsque progressam, vt omnem illum diuinitus constitutum ordinem euerterit, ad nomen excommunicationis (non infimæ illius disciplinæ partis) vsque adeò exhorrescunt multi etiam doctissimi, & optimi viri, vt de re quoque ipsa dubitare incipiant: tertia, quòd qui nostra memoria Ecclesias instaurare cœperunt, vsque adeò in id quod primarium est, id est, in doctrinæ ipsius repurgationem, intenti fuerunt, vt alterius partis non summam rationem habuerint. Inde verò malum aliud mox consequutum est: vt, quod initio non fuisset difficile conficere, nunc non modò sit perdifficile, verùm etiam penè ἀδιάλλακτον quibusdam videatur: ideóque nonnulli impetrandæ rei desperatione, nihil in præsenti statu mouendum arbitrentur: nonnulli, dum moderationes quærunt, rem ipsam planè in vmbram & simulachrum transforment: alij suis quibusdam rationibus commoti, non modò id non curent, sed ne curare quidem alios patiantur: quidam denique duas præcipuas ecclesiasticæ disciplinæ partes, vt humana commenta, excommunicationem videlicet, & presbyterij auctoritatem, manifestè oppugnent. Cum his autem postremis nunc est nobis negotium, non sanè priuato nostro, sed

earum omnium Ecclesiarum nomine, in quibus instaurata est ea ipsa disciplinæ ratio, quam ipsi improbant. Petimus autem ab iis, vt quemadmodum citra animorum exacerbationem, salua manente ipsa religione, ferimus ipsos à nobis, atq; adeò ab vltima vetustate dissentientes: ita etiam modestè & placidè nos audiant ipsorum argumenta diluentes, nullo cum eorum fratrum præiudicio, qui hanc disciplinam angustioribus finibus circunscribunt. Nam, quod à nonnullis aduersum nos dicitur, nullas Ecclesias nobis videri Ecclesias, quæ excommunicatione vel eiusmodi presbyterio careant, immeritò nobis obiici satis testatur perpetua illa nostra cum ipsis & eorum ecclesiis coniunctio. Est autem multò etiam magis aperta eorum calumnia, qui clàm scriptitant, nouam nescio quandam tyrannidem à nobis in Ecclesias inuehi, quam reliquis obtrudere velimus, At qui, non ita est, fratres. Itaque vos etiam atque etiam maturè rogamus, ne mendaces huiusmodi spiritus audiatis, nihil aliud meditantes, quàm vt ex falsa nostri accusatione, aditum sibi ad gignenda schismata, & ædificium Domini impediendum patefaciant. Eos certè qui hanc apud nos, & in Ecclesiis non tantùm Gallicis, sed etiam Belgicis & Scoticis, ac remotioribus aliis disciplinam instaurarunt (absit verbo inuidia) tot exantlati pro religione labores, integritas vitæ ad extremum vsque seruata, martyria denique multorum, ab omni ambitionis, nedum tyrannidis execrabilis suspitione: sapientia quoque & eruditio singularis, ab ignorantiæ suspitione satis supérque apud bonos & doctos homines vindicant. Accessit ipsa rerum experientia, quæ nos quidem ita in hac disciplina confirmauit, vt siquis eam, vel per se vt malam damnare, vel nobis eripere conetur, illam non magis quàm ipsius doctrinæ defensionem à nobis deseri posse profiteamur. Et sanè minimè veremur (Dei beneficio) ne quis mortalium vllum istius disciplinæ abusum, à nobis probari meritò criminari possit. Quicumque verò huius disciplinæ nonnulla suis Ecclesiis non modò inutilia verùm etiam noxia fore iudicant, suo sanè iudicio vtantur. Vident enim ipsi proculdubio quid sui greges ferant, nec ambigimus quin & tantæ doctrinæ, & tantæ integritatis fratribus, nobis etiam in Domino plurimùm obseruandis, suæ rationes constent. Et quis nos constituit alieni gregis iudices? Sed illud etiam ipsos sibi vicissim de nobis persuadere confidimus, nos neque temerè fuisse longiùs progressos,

greſſos,neq; leuibus de cauſis in inſtituto perſeuerare.Interea quandoquidem eò deuentum eſt, vt qui à fundamentis ipſis noſtra ſubuertunt, & voce & ſcriptis ſuam ſententiam confirmarint, nos viciſſim, vt in amica & Chriſtiana συζητησει fieri decet, noſtram hanc diſciplinam,idoneis,& (vt nobis quidem videtur) certis ac firmis ſcripturæ teſtimoniis,tueri conſtituimus. Sequemur autem eum ipſum ordinem, quem D. Eraſtus in ſuis quibuſdam theſibus maximè probauit: id eſt, quæ noſtra ſit de Excommunicatione ſententia primùm omnium dicemus: poſtea contra ipſam excommunicationem contorta eiuſdem argumenta diluemus: Tertio autem loco noſtras rationes afferemus, addita quoque contrariarum exceptionum refutatione: Denique de ipſius excommunicationis vſu aliquid, ac tandem de presbyterij quoque inſtitutione ac authoritate nonnihil diſſeremus.

Excommunicationem, quam oppugnat, ſic definiri vult.D. Eraſtus, vt ſit excluſio ab vſu ſacramentorum, præcedente Seniorum cognitione, ad emendationem & pœnitentiam vitæ. Nos in hac definitione ſiue deſcriptione, quæ à cauſis ſumpta eſt, duo in primis deſideramus, quoniam neque cuius auctoritate, & à quibus feratur ſententia, nec quibus de rebus feratur, ſatis explicat. Itaque ſic potiùs deſcribimus: Excommunicatio eſt ſententia, qua in nomine Domini congregatum presbyterium, legitima præeunte cognitione, & conſcia (ſi ſit opus) Eccleſia, pronuntiat quempiam, qui à Deo ſeſe alienarit, & Eccleſiam (id eſt presbyterium) non audierit, eiectum quoque videri ab externa Eccleſiæ ſocietate,tantiſper dum ex ipſius teſtata reſipiſcentia,quoad eius fieri debet ac poteſt,vel toti Eccleſiæ conſciæ, vel Eccleſia non facta conſcia, presbyterio conſtiterit, eum eſſe Deo reconciliatum. In hac igitur deſcriptione, Deum ipſum conſtituimus & presbyterij & huius iudicij auctorem, cuius duntaxat miniſter & interpres ſit presbyterium. Addimus præire oportere legitimam cognitionem, &, ſi grauitas offendiculi & peccatoris conuicti contumacia id requiſierit,conſciam eſſe Eccleſiam, vt abuſum ab vſu diſtinguamus. Dicimus præterea excommunicationem quæ in terris fiat, eſſe quiddam conſequens eam obiectionem, quam factam eſſe antea in cœlis ex verbo Dei & peccatoris duritie conſtet: vt videlicet nihil aliud ſit excommunicatio in terris, quàm declaratio alterius occultioris factæ in cœlis, ex

Quid excõmunicationis nomine intelligamus.

qua nimirum meritò colligatur eum qui in cœlis eo quidem tempore non approbatur, indignum esse qui inter fideles in terris censeatur: quæ posterior etiam declaratio in terris facta, rata est in cœlis. Additur aliud præterea in hac descriptione, ex quo intelligatur nec absolutè & simpliciter fieri, nec perpetuam esse istam reiectionem, sed sub conditione & ad tempus: nisi fortè qui peccauit ad extremum vsque in contumacia perstiterit. Dicitur denique oportere vt de peccatoris resipiscentia constet, vel ipsi toti Ecclesiæ, apud quam fuerit publicata excommunicatio: vel ipsi presbyterio, quo solo teste fuerit quispiam excommunicatus, satisfiat: vt quod de presbyterio scripsit Erastus, quasi videlicet à presbyterij libitu & arbitrio pendeat excommunicatorum receptio, præter nostram sententiam dictum esse intelligatur. Hanc autem definitionem ex verbo Dei petitam esse, certísque eiusdem testimoniis confirmari, suo loco, sicuti spero, declarabimus. Itaque quòd sacramentorum nimium generaliter meminit D. Erastus, quum de altero tantùm sacramento, nempe de Domini Cœna hic agatur: & quòd solam à Cœna Domini exclusionem vrget, multis de causis non probamus. Non enim debuit quod præcipuum erat prætermitti, ipsa videlicet à Christi societate seclusio in cœlis facta, adeò vt nisi illa præcesserit, ista quoque irrita meritò censentur. Quatenus autem illa seclusio valeat, quum neminem prorsus eiiciat Christus ex iis quos pater ipsi dedit, nec excidere possit electionis decretum, suo loco explicabitur.

Refutatio argumentorum quibus affirmatur, excõmunicatione non includi separationẽ ab ipso Deo. Arg. 1. Refutatio.

Quoniam autem aliter ille censet, age, quod sit ipsius rationũ pondus expendamus. *Vt salutem nemini dare possunt homines* (inquit D. Erastus) *sic nulli eam sua sententia possunt adimere. Ergo definiri non potest excommunicatio abscissione aut negatione salutis.*

Immò vnius Dei est, si potestatem illam ἀυτικεχειρικὴν spectes, seruare, perdere: ligare, soluere: remittere, & retinere peccata: aperire & claudere: sed iis quorum ministerio Deus ad hæc exequenda vtitur, hæc quoque passim vt Dei ministris tribui quis ignorat? Nec enim subordinata causa repugnare potest primariæ & propriæ illi causæ cui subseruit. Ponamus ergo presbyterium, ad hoc ipsum à Deo (vt suo loco dicemus) constitutum, legitima præeunte facti cognitione, sic in ebriosum quempiam (exempli gratia) statuere. Ebriosos pronuntiat Dominus non habere partem in regno Dei, nempe

1. Cor. 6. 10.

nisi

nisi resipiscant. At ebriosum hunc esse nobis constat: Constat igitur hunc non habere partem in regno Dei, nisi resipiscat. An, inquam, si presbyterium sic colligat, & hoc ipsum conuicto cuipiam denuntiet, hominis ac non potiùs Dei ipsius iudicium est? Quòd si verò frustra tentatis omnibus quibus ad peccati agnitionem adduci eiusmodi hominem oportuit perstet ipse apertè contumax, vel etiam monentes & increpantes derideat, & sic rursum colligat seniorum cœtus, Quos pronuntiauit Dominus partem non habere in regno suo quandiu non resipiscunt, indignum est alia conditione censeri in terris in cœtu fidelium. Hunc autem nobis palàm constat talem esse. Ablegetur ergò etiam, ex fidelium in terris cœtu, non vt pereat: sed ea conditione, vt, quandoquidem, non nisi hoc adhibito cauterio sanabilis est huius morbus, tamen, hac ipsa ejectione consulamus, tùm ipsius miseri, tùm etiam reliqui gregis saluti. Amabò, inquam, hoccine est arrogare sibi imperium in animarum salutem, an vero potiùs quod in cœlis statuerit Deus occultè, & quod non reticeri, tum ipsius Dei gloriæ, tum illius salutis, si sanabilis est, tum Ecclesiæ totius interest, id ipsum in terris patefacere?

Non omnes (inquit D. Erastus) *mali fuerunt qui excommunicati sunt, nec omnes boni fuerunt, qui sacramenta participare conati sunt. Quum ergo fieri possit, vt aliquis statim ad ea non admittatur, propterea quòd iis qui disciplinæ præsunt satisfacere nequit, quacunque id ratione eueniat, non statim is periit. Nam vt omnes illos quos in gratiam recipimus, saluos fore nequaquam affirmare possimus, propterea quòd multi sunt hypocritæ: ita exclusis omnibus salutem negare non debemus, propterea quòd multis fit iniuria.* Argu. 2. D. Erasti aduersus excommunicationis vim in cœlis.

Concedimus totum argumentum, & statum quæstionis transferri dicimus. Nec enim à nobis quæritur, sitne ratum coràm Deo, quicquid in presbyterio quoquo modo decernitur: sed hoc potiùs, an ratum sit in cœlo, quod à presbyterio ritè & ex Dei verbo geritur, quod nos asserimus ex Christi verbis, affirmantis ligata & soluta esse in cœlis, quæ in terris (legitimè videlicet) ligantur & soluuntur. Et quæso, quorsum hoc? Nec enim hûc spectat excommunicatio, vt quisquam pereat, sed potiùs vt qui alioqui perituri sunt, in viam redeant. Itaque quod oratoriè postea amplificatur, quum dicitur, in presbyterio quoque Seniores, inueniri plenos simulationis, iræ, odij, amoris, aliorúmque humanorum affectuum, ne refu- Refutatio 1. Refutatio 2. Refutatio 3.

tatione quidem indiget. An enim quia multi semper fuerunt tales in Magistratu, idcirco negabitur magistratus habere legitimam vitæ & necis potestatem? an quia tam multi Euangelium cauponantur, & adulterant, idcirco non est Euangelium potentia Dei ad salutem cuiuis credenti?

Arg. 3. D. Erasti aduersus excommunicationis vim in cœlis.

Is solus (inquit D. Erastus) *potest extra Ecclesiam eijcere, qui hominum corda nouit. Non possunt ergo amplius homines quàm corporaliter à sacramentis arcere.*

Refutatio.

Concedimus antecedens, & id negamus contra eos facere, qui vt Dei ministri agunt ex ipsius verbo, quicquid agunt. Nec enim (Dei gratia) vsque adeò amentes vel impij sumus, vt quod vnius Dei est, nobis arrogemus, id est, eorum notitiam, quæ in cordis recessibus delitescunt: imò fideles Dei συνέργοι sumus, quum quos ipse verbo suo ligari, vel solui in cœlis declarat, ligatos vel solutos in terris pronuntiamus, hâncque in terris factam promulgationem, ratam esse in cœlis, affirmanti Christo credimus. Sin verò roget quispiam, vnde nobis de cœlesti decreto quopiam particulari constet? respondemus quod modò diximus: de iure, quas ob causas ciuitas cœlestis amittatur, nobis ex scripto Dei verbo constare, de facto verò, ex idoneis testimoniis liquêre: ac proinde quoties argumenti propositionem diuina vox ipsa suppeditat, assumptio verò firmis testimoniis ex αὐτοψίᾳ ipsa & euentis nititur, firmam etiam esse presbyterij officio suo fungentis, conclusionem.

Arg. 4. D. Erasti aduersus excommunicationis vim in cœlis.

Apostoli (inquit D. Erastus) *corporalibus pœnis quosdam affecerunt, aliquos etiam occiderunt, at propter peccata in quæ lapsi sunt, nullum vnquam per excommunicationem ex Ecclesia eiiciendo condemnauerunt, quantisper fidem retinere visi sunt, & doctrinam Christianam non vituperarunt, ac profiderunt.*

Refutatio 1.

De corporalibus pœnis, quas Apostoli nonnullis extra ordinem, & spirituali quadam ratione inflixerunt, suo loco differemus. Sed quod hic dicitur, nullum vnquam ab Apostolis fuisse propter peccata excommunicatum, id nos verò pernegamus, & vt spero, aliter se habere, non difficulter suo loco euincemus. Tantùm nunc quærimus, an Petrus existimari possit, quum à manuum impositione Magum illum Simonem repulisset, eundem ad κοινωνίαν corporis Domini, nisi manifestè resipiscentem, admissurus. Certè ita sentire non possum. Aliud enim sonant hęc Petri verba, τὸ ἀργύριόν σε σὺν σοὶ εἴη εἰς ἀπώλειαν: & qui ob animi peruersitatem, sic repellitur à Spiritus sancti donis,

donis, vt dicatur nec partem nec sortem habere in Euangelij prædicatione, quí tandẽ ad mensam Domini, nisi resipiscentiam testatus, admitti potuit? Quum verò D. Erastus ipse disertè eos excipiat, qui fidem Christianam non vituperant, saltem in istis, excommunicationi locum esse concedit. Imò, etiamsi daremus, nullum legi ab Apostolis excommunicatum, non tamen consequeretur ita esse, quum satis cõstet, non omnia singularia Apostolorum gesta perscripta fuisse. Imò etiamsi concederemus, nullum vnquam fuisse ab Apostolis excommunicatum, non tamen efficeretur necessariò quod ipse vult: quum multa non fiant, quæ tamen fieri possint, si necessitas id postularit. Sed absit vt Apostolos vel leuissimè suspicemur officio suo defuisse. Refutatio 2. Refutatio 3.

Nemo (inquit D. Erastus) *scire potest, quando peccatores ad se redituri sint, quum sub ipsum vitæ finem aliqui resipuerint, piéque mortui fuerint. Quum ergò ex Ecclesia expulsus aliquis dicitur, à societate externa, non interna & spirituali, eiectus esse intelligitur.* Arg. 5. D. Erasti aduersus excommunicationis vim in cœlis.

Antecedens concedimus, consequens negamus. Etsi enim intelligere homines (nisi fortè à Deo extra ordinem commonefacti) non possunt, quod Deus penes se vnum esse voluit: quibus videlicet, & quo momento sit daturus resipiscentię spiritum: tamen ea res nihil officit ordinario Ecclesiæ ministerio, quo iubentur ij quos ad hoc munus Dominus vocauit, tum gregem ipsum totum, tum oues singulas pascere. Pascunt autem, non modò qui famelicas ad pabula deducunt, verùm etiam qui aberrantes, si quidem se blandè reduci patiantur, blandè: sin vero refractariæ sint, periculi denuntiatione, & pabuli etiam moderata subductione deterritas, in viam reuocant: & denique in omnibus ijs exercendis ita se gerunt, vt singula ad vnius illius summi veríque pastoris nutum administrent, cui tum ipsi sese, tum etiam ipsas aberrantes oues, assiduis precibus commendant. Hanc piam, & ab ipso Deo gubernatoribus gregis sui præscriptam sollicitudinem, externum duxtaxat quiddam esse qui volet arbitretur. Nos autem expressis Christi verbis freti, Qui vos audit, me audit: Qui vos spernit, me spernit: eiusmodi vera verorum pastorum iudicia, tam credimus rata esse in cœlis, quàm Christum scimus regnare in eorum ministerio quos Ecclesiæ suæ hîc regendę præfecit: neque hæc legitima veri presbyterij iudicia, secus arbitramur reformidanda, quàm si filius ipse Dei æternus illa ore Refutatio. Luc. 10. 16.

ſuo pronuntiaret.

Arg 6. D. Eraſti, aduerſus excommunicationis vim in cœlis. Refutatio.

Sed (ait D. Eraſtus) *quid ſi talis quiſpiam moriatur reſipiſcens, nec tamen potuerit presbyterio vel Eccleſiæ ſatisfacere? Nempe quin peccata verè reſipiſcentibus condonentur ambigi non poteſt.*

Ergo (inquiet aliquis) *excommunicationis ſententia non arcet à regno cœlorum.* Nos verò conſequutionem ſimpliciter neque admittimus, neque negamus, quum ipſum presbyterium, nec purè, nec in perpetuum, ſed ſub conditione, Niſi reſipuerit, & tantiſper dum reſipuerit, quempiam in terris liget: & aliud ſit quempiam extra ciuitatem abſque vlla ſpe reſtitutionis eiici, quàm in ipſa ciuitate vinctum, & cæterorum ciuium ſocietatis expertem teneri: vel ſi ſeipſum agnouerit, iterum recipiendum, vel ſua vnius culpa extorrem periturum. Huius autem reſipiſcentiæ, etiamſi teſtimonium idoneum meritò requirat vel presbyterium ſolum, vel totius Eccleſiæ cœtus, (quoniam de occultis ſtatuere nec poteſt, nec debet:) abſit tamen vt legem vllam vel Deo intus pro ſuo iure agenti, cuius infinita eſt bonitas, & in cuius denique manu & poteſtate ſunt omnia, vel ipſi pœnitenti ſimpliciter & neceſſariò præſcribat. Imò quid aliud potiùs cupiamus, quàm vt eos etiam qui ſeſe ad extremum vſque contumaces præbuerunt, Dominus in extremo vitæ momento clementer donet reſipiſcentiæ ſpiritu? Imò, id nos etiam ſperare & exiſtimare charitas iubet, potiùs quàm de iis qui obdormierunt malè ſentire. Sed iſtud certè neque legitima Eccleſiaſtica iudicia infirmat, neque prohibet quominus certus aliquis ordo in Eccleſia, Deo ipſo è cœlis eum confirmante, & inſtituatur & conſeruetur, quem ordinem ſi quis ſciens volens aſpernetur, non videmus quinam verè reſipuiſſe videri poſſit.

Arg. 7. D. Eraſti, aduerſus excommunicationis vim in cœlis. Refutatio.

Quum ab oratione (inquit D. Eraſtus) *lectione, verbique auditione, remoueri nullus poſſit, reliquum eſt vt à ſacramentis tantùm arceatur.*

An poſſit quiſpiam ab iis ſemel omnibus quæ in publico piorum cœtu geruntur prohiberi, mox viderimus. Quod autem eo conceſſo colligitur ſupereſſe, vt excommunicatio à ſacramentis duntaxat arceat, id eſt, à Cœna Domini (excludi enim à Baptiſmo dici non poteſt, qui nunquam eſt per Baptiſmum in numerum fidelium accitus, & ſola duo Chriſtianæ Eccleſię ſacramenta agnoſcimus) id ita accipimus, vt qui à ſacramentis prohibetur, ſimul à re Sacramenti, id eſt, Chriſti communione

nione prohibitus, sub conditione tamen, & tantisper dum resipuerit, intelligatur.

De Censuræ Ecclesiasticæ speciebus.

Et de definitione quidem propriè sic appellatæ Excommunicationis hactenus. Nunc ad ea venimus quæ de censurę Ecclesiasticæ, siue in species, siue in gradus distributione tum ex nostra, tum ex Scholasticorum sententia tradere se dicit D. Erastus: duos nimirum à nobis excommunicationis gradus constitui, vt alij aliis asperiùs puniantur, priuatam videlicet exclusionem, quæ in solo presbyterio fiat ad tempus, intra quod quispiam vitam & mores suos presbyteris probet: & publicam interdictionem, quæ in iis locum habeat, qui priorem illam censuram aspernati, suam pœnitentiam senioribus non probarint.

Respondeo nostrum in his rebus morem, vel non satis rectè ab illo intelligi, vel non satis planè explicari. Primùm enim, Excommunicationem cum Censura Ecclesiastica, id est, speciem cum genere, permiscet: deinde non omnes eius species enumerat. Tres igitur potiùs constituimus huius disciplinæ & correctionum Ecclesiasticarum gradus, tum rationem ipsam, tum vniuersæ veteris Ecclesię morem sequuti. Quosdam enim pro delicti ratione, officij duntaxat admonuisse contenti, vlterius non progredimur: quia vel offendiculum non est ita graue, vel quia dociles & vltro resipiscentes sese produnt, de quibus agitur: alios, vel quia non satis nosse religionem Christianam videntur (cathechesis enim hodie Baptismum sequitur) vel quòd non satis liquidum, aut meritò suspectum sit ipsorum resipiscentiæ testimonium, vel quòd ipsorum, aut totius Ecclesiæ interfit, eos aliquo modo mulctari, non excommunicamus quidem eousque vt Christi membra esse desiisse pronuntiemus, verùm officij commonefactos, iubemus tamen, quòd nondum satis serio tangantur peccatorum suorum sensu, tùm etiam vt alij metuant, à mensa Domini ad tempus abstinere, tantisper videlicet dum, siquidem non satis periti sunt mysteriorum, erudiantur: aut si sunt meritò suspecti, eorum pœnitentia probetur: publico denique offendiculo remedium allatum videatur. Et hi sunt quos vetus Ecclesia Abstętos vocabat, & quales habitos plurimos, etiam asperiore conditione, sub legis pædagogia fuisse suo loco ostendemus. Denique grauissimorum facinorum, ac præsertim indomitæ contumaciæ conuictos, quique alia nulla ratione sanari potuerunt, palàm

in

in Dei nomine excommunicamus, id est, ex Ecclesiæ communione, tantisper dum idoneo veræ pœnitentiæ testimonio, cœtui satisfaciant, in cœlis quidem propter sua peccata, cum animo rebelli coniuncta: in terris verò per Dei seruos in eius nomine, eiectos esse, quum non possint simul esse membra Christi & Belial, pronuntiamus: idque non ea, cuius nos immeritò nonnulli insimulant, asperitate, sed ea adhibita moderatione, vt in hac Ecclesia toto decennio non plures duobus sic, id est, propriè excommunicatos, meminerimus. Anathemate verò perpetuo, nec etiam omni secluſione à publicis Ecclesiæ cœtibus vtimur. Hic igitur ordo in Ecclesiis nostris seruatur, eo quidem cum successu (Deo sit laus) vt nos eius minimè pœniteat.

Excommunicationem quoque maiorem quam vocant habere præceptũ & exemplum in Dei verbo.

Venio ad Scholasticos, quorum etsi corruptelas defendere minimè constituimus, tamen ne hic quidem arbitramur prodendam veritatem. D. Erasto non placet excommunicationis diuisio, in minorem, quæ sola Sacramenti Cœnæ Domini exclusione definitur, & maiorem, quæ ab omni sacro publice actu excludit. Nobis vero minimè in animo est veterum canonum seueritatem in omnibus tueri, ac multò minùs Pontificiam tyrannidem, qua nihil execrabilius est, vllo modo defendere: nec etiam intricatissimas illorum super hoc negotio cõtrouersias persequi. Sed hoc dicimus, maiorem illam, quam vocant, excommunicationem (quamuis ea non vtamur) non simpliciter damnandam esse, quum expresso Dei verbo nitatur. Immundos enim, ab ipso etiam templi aditu, donec purificarentur, prohibitos fuisse sub lege constat. Excipiens autem D. Erastus illam immunditiem externum tantùm quiddam fuisse, nihil nobis quidem dicere videtur, quod contra ipsum non faciat, vt copiosiùs alibi nos ostensuros speramus.

Obiectio.

Alterutrum certè fatendum videtur: nempe, vel detestabiliorem fuisse coram Deo externam, quàm intrinsecam pollutionem, de qua constaret (quod absurdum est cogitare) vel hac quàm illa pollutos, fuisse etiam (si iudicium interueniisset) habitos impuriores.

Respons. 1.

Et quorsum, obsecro, sacrificia illa pro peccatis, tum voluntariis, tum inuoluntariis, nisi vt publica essent resipiscentiæ testimonia? Ob schismata verò & contumaciam, ac proinde ob grauia offendicula fuisse pronuntiatos homines ἀποσυναγώγους, id est, à sacris omnibus conuentibus prohibitos, ex Euangelistæ

Resp. 2.

ſtæ verbis expreſſis liquet, quem morem à Chriſto minimè reprehendi, ſed eius duntaxat abuſum, manifeſtè probari poteſt. Ioh. 9. 22. & 12. 42. & 16. 2.

Et quum in priuatis etiam, nec alioqui manifeſtis delictis, Chriſtus iubet eum haberi velut Ethnicum & Publicanum qui Eccleſiæ iudicio rebellis eſt, multò magis id eum fieri velle in publicis, & cum manifeſta improbitate coniunctis ſceleribus, res ipſa videtur requirere. Ethnicis porrò, id eſt ἀπεφθεγμένοις, nefas fuiſſe in templum Dei ingredi, nedum precibus & ſacrificiis intereſſe, negari non poteſt. Sed ne priuatam quidem vitæ conſuetudinem, Iudæis licitam fuiſſe cum incircunciſo nemo neſcit: quod ſi vel tyrannicum vel ſuperſtitioſum fuiſſet, Petrus vel ea de re ab Eccleſia Hieroſolymitana nunquam fuiſſet accuſatus, vel reus factus, reſpondiſſet vno verbo ſe nihil feciſſe, quod fas non eſſet. Et certè, ſi Chriſtus, qui alioqui à Phariſaicis traditionibus ſtudio abſtinuit, cum incircunciſis commercium vnquam habuiſſet, dubium non eſt, quin Petro totíque Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, nulla poſtea religio fuiſſet, idem facitare. Ex his autem conficitur, contumaces ab Eccleſia legitimè pronuntiatos, quum pro Ethnicis haberi iubentur à Chriſto, maiore quoque excommunicatione (quam vocant) fuiſſe ligatos. Nec enim quærendus eſt melior Chriſti interpres, quàm Paulus, qui de publicorum in Eccleſia offendiculorum authoribus peruicacibus loquens, prohibet cum eiuſmodi nomine tenus fratribus, vel cibum capere. Vt autem quiſpiam ſeſe in omnes formas conuertat, nunquam probabiliter, nedum neceſſariò euicerit dignos agapis, & ſacris epulis, iis denique conuentibus, quæ ad fidei ἐμπολιτείαν propriè ſpectabant, habitos fuiſſe, quibuſcum priuatæ vitę vſus nefarius cenſeretur: niſi fortè exiſtimamus Apoſtolum, quum reiiciendum hæreticum (αὐτοκατάκριτον videlicet) præcepit, publicos ſacros conuentus excepiſſe. Quoniam tamen aduerſus ſuperiora ferè omnia quædam non parui momenti producuntur, tantiſper iſta ſanè valeant, dum ad illorum refutationes reſponderimus. Interim dico, ex his effici, tantùm abeſſe vt Maior quoque excommunicatio rectè vſurpata cenſeri temerè poſſit præter Dei verbum tyrannicè vel ſuperſtitioſè inuecta, vt contrà rara ſint in ipſo verbo Dei expreſſa minoris excommunicationis exempla, maioris autem multa. Reſp. 3.

Non debere (inquit D. Eraſtus) *à publicis lectionibus & precibus quenquam arceri, ſed omnes etiam infideles admitti, manifeſtè patere* Refutatio argumentorum

ex

aduersus maiorem excõmunic. Arg. 1. D. Erasti. Refutatio. 1.

ex 1. Cor. 14. Nos autem, ipsos etiam ἀπίστους admissos fuisse ad verbi auditionem in Christianorum cœtu fatemur, ex illo Pauli loco: imò etiam apud ipsas Iudæorum synagogas, ex aliquot Lucæ testimoniis conijcimus. Sed si quos vel συναγωγὰς Synedrium declarasset, vel presbyterium tradidisset Satanæ, negamus eos fuisse, nisi adiuncto resipiscentiæ testimonio, admissos ad cœtus non discendi, sed profitendi & celebrandi Christianismi causa institutos. Caussa verò cur ἄπιστοι quidem admittantur: hi verò non item, manifesta est: quoniã videlicet, illi quidem ignorantiâ, isti improbitate peccant: illi doctoribus, isti correctoribus indigent: in illis scientia, in istis cõscientia desideratur. Itaq; illis cibus verbi cœlestis præbendus fuit quem appeterent, nedum vt appetentibus denegaretur: istis verò pabulum quod præ copia fastidiunt, subducitur, donec ablatum requirant, quod præsens aspernantur. Docet autem nos istam distinctionem Apostolus ipse, cum infidelibus concedens conuictum: cum fratribus ex Ecclesia ob vitę morúmque prauitatem eiectis, non item. Expresè verò diximus, hoc intelligendum esse de iis demum cœtibus, qui ad communem fidei ὁμολόγιαν pertinebant, cuiusmodi erant in vetere Ecclesia non tantùm agapæ, quibuscum coniuncta erat Eucharistiæ sumptio, verùm etiam quotidianæ preces, statis horis haberi solitæ, sicut non tantùm Hierosolymis, ad horam matutini & vespertini sacrificij, conueniri solebat, verùm etiam aliis locis dispersi Iudæi statas precationis horas habebant. Ab his igitur publicis conuentibus olim excludi meritò consueuisse, cur non existimem, quos Ecclesia è medio sui (vt loquitur Paulus) sustulisset? Obsecro enim quum ista publica Dei inuocatio, non minima sit pars communis in vna fide consensionis quinam ad communem cum Ecclesia fidei professionem nisi simulatè, & in suam ipsorum perniciem admitterentur, siue qui vel in ipsa fide palàm dissentiunt, vel etiamsi verbis Christum confitentur, re tamen ipsa, prout presbyterium legitimè iudicauerit, Christi contemptores esse comperti sint, ideóque Satanæ traditi? Huius autem exclusionis ab Agapis (nedum vt ad communes concipiendas preces, aut sacram cœnam eiusmodi ἄμικτοι homines admitterentur) auctores fuisse Apostolos, ex Iudæ epistola manifestè liquet, vt alibi dicemus. At de simplici verbi auditione aliter censeo. Quum enim hoc organo Dominus & extraneos colligi,

1. Cor. 10. 27. 1. Cor. 5. 11.

Act. 16. 13.

Iudę 12. & 23. 2. Tim. 2. 25.

gi,& aberrantes in viam reuocari velle constet,officitur quoſ-
uis id audire paratos, ad audiendum admittendos, vt etiam ij
qui capti à Satana detinentur,eius laqueos euadant.

Excluſio verò à publica vnius eiuſdémque fidei profeſſio-
ne, itémque interdictio communis conuictus in ciuili vita &
commercij, certè vel ipſo Apoſtolo teſte, non dirimit coniu-
gia, nec humanæ ſocietatis ſemel abrumpit vincula : immò
docet nos Apoſtolus non eouſque porrigi, vt propterea non
oporteat nos eſſe de peccatore in viam reuocando ſollicitos,
& in occaſiones omnes intentos ipſius admonendi,vt & ſui ip-
ſius & Eccleſiæ rationem habeat : atque adeò, quin eum ip-
ſum quęramus,cuius conſuetudinem non modò nullo homi-
nis odio,verùm etiam ſalutis ipſius deſiderio vitamus : tantiſ-
perdũ pudore ſaltem victus,ſeſe agnoſcere,& Deo atq; fratri-
bus ſtudeat reconciliare. Ita fit vt hęc cenſura ſit ſaluberrima
medicina, acris quidem illa, ſed cuiuſmodi demum remedio
ſanari indomitæ alioqui contumacię morbũ poſſe conſtiterit.

1.Cor.12. & 13.

2.Theſ.3.13.

Ipſimet pontificij (inquit D.Eraſtus) *conceſſerunt à communione mentis ſeu Spiritus arceri neminem poſſe,ſed ab externa ſolùm eccleſiæ ſocietate prohiberi, qui cenſura eccleſiaſtica notatur.* Si hoc verum eſt, certè hîc quoque plurimùm inter ſe diſſident matæologi, vt qui excommunicatis,ſi ante ſatisfactionem moriantur,vix vllam ſpem ſalutis relinquant. Sed iſtos mittamus. Quòd ad rem ipſam attinet, quum iudicium Eccleſiæ nihil ſit aliud, quàm promulgatio in terris ſententiæ in cœlis decretæ, cuius theſin(vt antea docuimus) ſubminiſtrat Dei verbum, hypo-
theſin autem res ipſa confirmat:eáque in terris facta promul-
gatio,ſit in cœlis rata : efficitur alienos à Dei gratiæ ſenſu de-
cerni, qui ritè in terris ex communione Eccleſiæ eiiciuntur.
Quoniam autem iſta eiectio non niſi ſub conditione ſit, cuius
exitus eſt in Dei manu (putà niſi reſipuerint) & ad tempus
(putà tantiſper dum reſipuerint.) idcirco certum eſt quòd ad
æternam & immotam electionis firmitatem, ſiue Dei bene-
placitum attinet,excommunicatos externa eccleſiæ voce,qui
ex electorum numero ſunt,non definere eſſe Chriſti membra,
quamuis ad tempus non virentia,nedum fructifera : ſuo nimi-
rum tandem tempore turſus ipſos viuificaturo Chriſti ſucco,
cui ſemper adhæſerunt.Apertiùs loquar.Ritè excommunica-
tos dico,ſi ex numero electorum fuerint (id quod declaratur
tandem ex veræ reſipiſcentiæ ſpiritu) manere nihilominus

Arg. 2. D. Eraſti.

Refutatio 1.

Refutatio 2.

veræ

veræ illi viti insitos, ac proinde non esse coram Deo damnatos, quòd ad ipsius θεοδικίαν attinet: esse tamen, quandiu non resipiscunt, instar palmitum qui ad tempus perinde se habeant ac si viti non inhærerent, eos videlicet (suo ipsorum vitio) non alente ad tempus illo Christi succo, qui tamen non sunt amputandi, nec exurendi: aut, si mauis, esse quidem Christi membra, sed propter ἀπογείαν ad tabem inclinantia, consequuturo mox sphacelo, nisi rursum illa suo tempore viuificus ille Christi spiritus vegetaret. Neque mirum videri debet à Christo dici, quòd ad effectum & præsentem statum attinet, exclusos, qui tamen non sint amputati, vt palmites qui nunquam nisi externa quadam specie cum vite coaluerant: quum qui electi sunt, dicantur & sint apud Deum ab æterno electi, qui tamen reipsa non priùs sunt electi quàm vocati & iustificati. Sic ebriosus non est ἀπρεπὴς animal rationis particeps, sed duntaxat δωμένει ad tempus intercluſa.

Arg. 3. D. Eraſti. *Torquent se miserè Scholastici* (inquit D. Eraſtus) *vt doceant aliquid facere sacerdotem qui absoluit à Deo iam absolutum, hoc est eum quem verè pœnituit, nec audent doctores plus tribuere clauibus, quàm potestatem ab externa societate Ecclesiæ & sacramentorum perceptione cohibendi, & rursus ad eandem admittendi.*

Refutatio 1. Vt verò sese tum hac in re tum etiam in aliis multis scholastici torqueant, quid ad nos, quibus ex Dei verbo sapiendum

Refutatio 2. est? Cæcos igitur cęcorum duces sinamus. De re autem ipsa quid statuamus, ex precedentibus intelligi potest. Quod enim in terris ex mandato Dei decernitur, ratum esse in cœlis, in vtramque partem omnino accipiendum esse, id est tum de iis qui ligantur, tum de iis qui absoluuntur, & res ipsa docet, & Christus ipsemet disertis verbis declarat. Quemadmodum ergo quum ad conscientiæ interius iudicium, accedit externa quoque Ecclesiæ in Christi nomine congregatæ sententia, aures ipsas corporis feriens, crescere necesse est vulnus in iis quidem qui non sunt prorsus ἀναίσθητοι: ita quum illud vulnus obligat atque adeò persanat Deus, non tantùm interiore spiritus Sancti testimonio, quod facit vt spiritus noster consolationem & pacem in Christo recipiat, verùm etiam publica illa & sonora Ecclesiæ totius, congratulantibus ipsis Angelis, acclamatione: quantopere recreari putas conscientiam, paulò ante sub onere tristitiæ fatiscentem? Ψυχῆς νοσούσης ἰατρὸς σοφὸς λόγος, inquit ille. Ego verò etiam dixerim Ψυχῆς ὑγιαινούσης, quod &

in

in corporis morbis vsuuenit, vt qui se sentit iam conualescere, magnopere præterea audito peritorum medicorum iudicio confirmetur, & nouas inde vires aduersus morbi reliquias concipiat.

Præterea an publicam Ecclesiæ, pro reductæ ad gregem ouis salute, ἀνάκρισιν (id est, quæ absolutionem consequitur, éstque illius veluti appendix) nihil apud Deum ponderis habere existimabimus? Refut. 3.

Si tradi Satanæ (inquit D. Erastus) *fuisset eiici ex Ecclesia, extra quam nulla est salus, non dixisset Apostolus, se tradere velle Corinthium Satanæ, vt spiritus maneret saluus in die Domini.* Arg. 4. D. Erasti.

Nos verò agnoscimus Ecclesiæ nomine interdum solos electos significari, interdum quosuis veri Dei nomen exteriùs profitentes. Agnoscimus etiam posse iniquo iudicio, vel per ignorantiam, vel malitiosè, tum recipi in credentium cœtum qui ad eum minimè pertineant, de quibus dicit Ioh. Si ex nobis fuissent, mansissent vtique nobiscum: tum etiam ex eodem eiici, qui tamen vitæ esse Christi membra non desierint, quod hodie quoque plurimis si vnquam aliàs vsuenit. Sed vtrouis sensu accipiatur Ecclesiæ nomen, negamus id quod D. Erastus dicit consequi. Potest enim quispiam ex ipso ciuium cœtu expelli, adeóque ad tempus non in speciem duntaxat sed re ipsa, priuari ciuitatis iure, qui tamen postea restituitur, quoniam veniam petit: nec etiam alio consilio ejectus est, quàm vt hac multatione ad peccati agnitionem adductus, veniam flagitet. Refutatio,

Et de his quidem hactenus, id est de excommunicationis tum definitione tum diuisione, ita quidem vt à D. Erasto sunt partim traditæ, partim reprehensæ. Nec enim ampliùs de his rebus dicere nunc constitui, quàm vt illa cum nostris non congruentia refellam. Accedo ad alteram illarum ipsius thesewn partem, in qua probandum suscepit, morem istum eos à participatione Cœnæ Domini excludendi qui fidem eandem alioqui nobiscum retinentes, tamen in vita & moribus lapsi sunt, nec præcepti, nec exempli diuini esse, quod probaturus auspicatur à veteris fœderis libris, vt factum oportuit, & hoc primum argumentum in nos torquet. Refutatio argumentorum contra D. Erasti exclusionem à Cœna Domini.

Scripturæ neque à sacrificiis siue ἱλαστικοῖς siue ἀνακρισικοῖς, neque à circumcisione, neq; ab agni paschatis esu, quenquam propter peccatum aliquod patratum excludunt, imò monent & hortantur peccantes, vt ad 1. Arg. D. Erasti, aduersus excommunicationem.

sacrificia sæpius accedant, sæpiúsque se Deo reconcilient : vniuersum cœtum iubent celebrare Pascha, & ter singulis annis omnes mares coram Deo apparere, adeóque peregrinos inter Israelitas habitantes, ad Pascha inuitant, ab ipsis denique immundis iubent omnino altero mense, nempe secundi mensis 14. die, Pascha celebrari. Quòd si lex diuina neminem sacris illis interesse vetat, sed potiùs vt adsint cogit, quis synedrium Iudaicum aliter de iis statuisse credat ?

Refutatio. Ab vno extremo ad alterum progredi præterito medio, non est descendere, sed in præceps ruere. Vocauit igitur sub lege, & nunc quoq; sacro ministerio vocat quosuis peccatoris Dominus ad regnum cœlorum, & tum ad audiendum verbum suum, tum ad sacramentorum vsum inuitat, imò etiam testatur publicanos & meretrices cæteris præire. Alibi tamen dicuntur peccatores à Deo non exaudiri : & Paulus clamat sceleratos non habere partem in regno Dei. Ista verò quínam inter se non repugnent, ipse Christus calumniantibus Iudæis ostendit, quum diceret à se vocari peccatores ad resipiscentiam. Vocantur ergo peccatores ad regnum cœlorum, sed ea conditione vt priùs resipiscant, & peccatores esse desinant. Sic igitur & nos respondemus, peccatores iudicatos ad sacrificia sacróq; conuentus compellebat Dominus, nedum vt ipsos ab iis arceret, sed ea lege vt testata esset ipsorum pœnitentia. Atenim, inquiet aliquis, ad hanc testandam pœnitentiam illos non iussit Christus Iudæorum synedrium adire. Certè non magis quàm suos Apostolos ad illorum synagogas. Nos autem de bene constituta Ecclesia loquimur, de qua dixit Christus, Dicat Ecclesiæ. Et tamen non repudiauit penitus Christus Iudæorum presbyterium, quum de lepræ diiudicatione ageretur, ostende te, inquiens, Sacerdoti. Ista verò disciplina, quam nunc tuemur, quid tandem non habet cum illa Dei ordinatione prorsus consentaneum ? Ecquem enim non inuitamus ad pœnitentiam, ecquem de cuius pœnitentia constet obuiis vlnis non recipimus, nedum vt à mensa Domini repellamus ? Istud autem publicæ pœnitentiæ testimonium quod requirimus, annon illud ipsum est quod verbo Dei continetur ? Quî etenim potuit quispiam offerre oblationem pro peccato, qui sese peccasse palàm non fateretur ? neque id verò duntaxat in genere accipi potest de confessione qua tenetur tota Ecclesia, atq; adeò singuli in genere tenentur reatum suum coram Deo profiteri : sed eos qui peculiariter offerebant pro peccato,

peculiariter

peculiariter quoque eius peccati, de quo agebatur, sese reos agnoscere necesse fuit.

Obiicietur autem hîc nobis fortassis illud quod ante dixi à nobis factitari, quòd videlicet interdum etiam eos qui se resipiscere profitentur, tamen quia vel meritò suspecta, vel non satis expressa sit eorum ἐξομολόγησις, vt longiore probatione sit opus, vel quia publicum exemplum ad ædificationem Ecclesiæ requiri videtur, non excommunicamus quidem, verùm ab externo tamen vsu cœnæ ad certum tempus excludimus. Sed optimum aduersus hanc obiectionem responsum, ipsemet D. Erastus nobis suppeditat, quum fatetur fuisse iis qui immundi essent menstruum spatium præscriptum, ad paschæ celebrationem, publici videlicet exempli causa: quorum tamen plurimos probabile est paratos alioqui fuisse resipiscentiam multò citiùs testari. Sed de hac re pluribus suo loco, fauente Deo, differemus. Obiectio 1.

Obiicietur autem nobis istud quoque fortassis, nec immundos illos omnes externa impuritate, nec etiam peccatores, quòd attinet ad Dei cultum, fuisse ad sacerdotes vel synedrium relegatos, vt ibi iudicati, à templo & sacris arcerentur. Fateor ego verò non omnes eiusmodi homines fuisse ad synedrium vocatos, nempe quoniam non tantùm negligentissimi fuerunt plerumque sacerdotes: verùm etiam partim quòd alij peccata sua facilè tegerent, vt nimiùm sæpe factitari solet: alij contrà vltro sese peccasse vel aliter pollutos esse agnoscentes, sponte ad expiationes accederent, se ipsos iudicantes. Denique non quæuis inter priuatos præter officium dicta vel facta, patefieri, & à Senioribus diiudicari oportuit. Sed aio pastores, præterquàm quòd tenebantur pro viribus singulas oues vel leuissimè aberrantes commonefacere, vt disertè præcipitur apud Ezechielem, debuisse tum de occultis primùm inter priuatos, postea verò non conciliatis, sed ad ipsos delatis offensis: ac multò magis de offendiculis publicis, ex verbo Dei cognoscere & decernere: id est immundos quidem legali impuritate, conuictos & obsequentes aqua lustrali aspergere, peccatoribus autem (ne illis quidem exceptis qui per ignorantiam iuris aut facti cum offendiculo indicato & probato peccarent) sacrificia pro peccato qualia legibus describuntur, adhibita expressa confessione indicere: qui si paruissent, reconciliabantur, sin minùs vt impuri à limine quoque templi arcebantur. Obiectio 2. Ezech.33.7. Matth.18.17. 1.Cor.5.13.

arcebantur. Hoc ita constitutum fuisse liquet ex iis quæ de peccatoribus scribuntur Deuter.27.18. & deinceps: Itidémque Leuit.4. & 5.& 6. & Num.15. & plurimis aliis locis, de immunditiis legalibus & expiationis aqua. Sed & pro ratione delictorum in proximum leuiorum vel grauiorum, diuersos sedisse sacros iudices apparet ex Christi sermone Matth 5,22. minimè profectò (vt æquos omnes iudices mihi concessuros spero) politicas leges scribentis, sed de iis agentis quę ad conscientiam propriè & directè spectant: sermone tamen ad eum ordinem accommodato, qui diuinitus fuerat sub lege constitutus. Nec certè accipi potest aliter nomen Ecclesiæ, in his Christi verbis Matth.18.17. DIC ECCLESIAE, nisi fortè somniare velimus toties congregari oportuisse vel totum Ecclesiæ cœtum, vel Magistratus, quoties aliquæ eiusmodi per se occultæ, & absque publico offendiculo grauiore exortæ offensæ inciderant. Denique nequis obiiciat totam illam actionem fuisse ciuilem, & ciuilibus pœnis, nihil ad id de quo hîc disceptamus pertinentibus definitam: tam falsum istud est, vt contrà ciuilibus quoque iudiciis & mulctis à ciuili Magistratu impositis, adiecta fuerit, vbi læsa fuerat conscientia, Ecclesiastica expiatio publica, cum peccati apud sacerdotes confessione.

Leuit.6.2.& deinceps. Num.5.6.& deinceps.

Summa autem nostræ responsionis est, vocatos quidem fuisse, ac penè coactos omnes ad Dei cultum & sacras ceremonias, sed ita vt præire oporteret impurorum respiscentiam, cuius etiam peculiare & publicum simul testimonium ab iis requirebatur, quos peccato vel legali immunditia pollutos fuisse constaret: ideóque non modò nihil contra nos ex hoc argumento consequi, verùm etiam eo vehementer nostram sententiam confirmari.

Arg.2. D. Erasti, aduersus excommunicationem.

Sacerdotes (inquit) *ne potuerunt quidem à Paschate quemquam arcêre, quia Pascha celebrarunt certi quidam numero soli per familias, & si tot in vna domo seu familia non essent, quot peredendo agni sufficerent, alios sibi adiungebant, quot satis esse viderentur. Alioqui* (inquit) *oportuisset singulas familias per totam Iudæam inspici, quod vix ac ne vix quidem fieri potuit.*

Refutatio 1.

Refutatio 2.

Respondeo, primùm agnos illos non fuisse à quibusuis, sed à Leuitis, idque non per totam Iudæam, sed in æde Domini mactatos & præparatos vt liquet ex Iosiæ historia 2.paralip.35.11. Quis autem existimarit Leuitas sese fuisse immundis immixturos? Præterea oportuit quidem,

quidem, fateor, pastores in genere de singulis etiam ouibus nedum gregibus esse solicitos, vt ait Ezechieli Dominus. Sed tamen hæc peculiaris cura necessaria non fuit in Paschatis celebratione. Primùm enim solennis sanctificatio indicebatur: deinde pro mundis iure habebantur: de quorum mundicie nulla esset cõtrouersia. Solos autem mundos ad celebrandum Paschæ conuiuium fuisse receptos, ex Esdræ libro manifestè liquet, & immundos iudicatos ex ipso templo à ianitoribus exclusos fuisse, apertè scribitur, in quacunque re, inquit, immundi essent. Esd. 6. 21. 2. 2. Paral. 23. 19

Prophetas (inquit D. Erastus) *nusquam legimus malos ætatis suæ à Ceremoniis & sacrificiis exclusisse.* Nempe quoniam rerum gubernacula non tenebant: nec vllos habuerunt magis sibi infensos quàm sacerdotes & seniores populi. Arg. 3. D. Erasti aduersus excommunicationem.

Quoties verò iidem ipsis sacerdotibus exprobrant, quòd nihil minùs quàm suum munus curarent, quoties etiam populo grauissima scelera obiiciunt, quibus & sese, & templum polluunt, annon palàm indicant quid facturi fuerint ipsi, si Ecclesiæ administrationi præfuissent? Nominatim autem Esaias manus impiorum dicens plenas esse sanguine (quo nomine quoduis scelus in proximos commissum significat) & adiiciens propterea esse abominationi omnia ipsorum sacra, palàm id quod de immunditia externa sancitum erat, ad interiorem applicat: & quid facere sacerdotes in eiusmodi negotio oportuerit manifestè demonstrat. Quin etiam Dauid mundari sese, & lauari postulans, & liberari à sanguine antequam vitulos altari imponat: satis probat ab altari exclusos fuisse quos aliquo scelere pollutos esse constaret, nisi publicè resipiscentiam testati, (quod eo Psalmo præstitit Dauid) veniam ex legis præscripto postularent. Nam obsecro, qui tam solenni ritu tenebantur culpam homicidij, cuius auctorem ignorabant, deprecari, an manifestum aliud crimen, licet non capitale, fatentem absque resipiscentiæ testimonio admisissent? & quum non admittatur ad templum qui inconsideratè iurauit, nisi cum oblatione pro peccato, quid scienter peieranti factum credemus? Refutatio 1. Refutatio 2. Refutatio 3 Deut. 21. vsq; ad vers. 9. Leuit. 25. 6. 2. & 3.

Pharisæi (inquit ille) *Sadducæis pessimis hæreticis nunquam vel exemplo vel ceremoniarum vsu interdixerunt aut interdicere conati sunt.* Si hoc negemus, quomodo probabitur? an quia non est scriptum? atqui si valet hæc ratio quàm multa negabimus? Arg. 4. D. Erasti aduersus excomunicationem. Refutatio 1.

Refutatio 2. Demus tamen ita esse, quod etiam probabile est. Quid mirum est sese mutuò fouisse hypocritas, alioqui in rebus grauissimis dissidentes, quum hoc ipsum hodie aduersus nos factitent re-

Refutatio 3. diuiuæ eorundem sectæ? Imò vt vel Sadducæos Pharisæi, vel istos illi ex Ecclesia maximè eiicere voluissent, quo iuris prætextu potuissent? Pharisæus enim & Sadducæus non sunt alicuius potestatis, aut ciuilis aut Ecclesiasticæ, sed sectarum nomina, penes quas, at non solas, erat sæpe ipsa rerum ecclesiasticarum summa. Denique demus hodie à quopiam in Ec-

Refutatio 4. clesia Christiana palàm animarum substantiam (nedum vt immortales fateatur) & corporum resurrectionem cum Sadducæis apertè negari, suáque adeò dogmata defendi: an eiusmodi hominem in presbyterio legitimè conuictum, neque resipiscentem, censeremus Christianum? Minimè, opinor. Num tamen illum ad cœnam Domini citra testimonia resipiscentiæ admitteret D. Erastus? Ne hoc quidem, opinor, vt qui potiùs censeret gladio magistratus occidendum, sicut extra ordinem factum esse vult Alexandro & Hymenæo. Verùm quid si magistratus ipse, vel Sadducæus esset, vel officium non faceret? an aliter de isto impio (cuiusmodi vtinam hodie nulli vsquam sint) quàm de incestuoso Corinthio statueret presbyterium?

Arg 5. D. Erasti, aduersus excommunicationem.

Collegium sacerdotum & primores Iudæorum censuerunt Christum & Apostolos dignissimos esse qui ex ipsa etiam vita tollerentur. Itaque si quod mandatum habuissent tales à suis ceremoniis arcendi, proculdubio eos non admisissent. At nunquam vel Christum vel Apostolos, vt Matthæum publicanum, aut Paulum ipsum quem pessimè oderant, excluserunt: qui tamen Christum reprehenderunt, quòd cum Publicanis cibum caperet. Non ergo excommunicabantur, quibuscum communis

Refutatio 1. *cibus non capiebatur.* Imò verò disertissimè testatur Ioannes duobus locis conuenisse inter Iudæos, vt qui Christum confiteretur, synagogâ moueretur, nedum vt Christo ipsi parcerent. Synagoga autem eiici, hoc ipsum fuisse quod excommunicari dicimus, negat quidem D. Erastus, sed quo iure id faciat suo

Refutatio 2. loco disputiemus. Age tamen vt nunc largiamur istud nihil ad excommunicationem pertinere, certum est tamen præterquàm quòd Christus, & Apostoli, ista Iudæorum iniquissima iudicia meritò contempserunt, cohibitos illos fuisse mirabiliter tum arcana Dei virtute, tum etiam metu populi, quominus quod decreuerant re ipsa exequerentur.

Ad

Ad Matthæum autem Publicanum quòd attinet, dico non vnum fuisse in Iudæa Publicanorum genus. Vni enim gentiles erant, & equites plerunq; Romani, vt in reliquis Imperij Romani prouinciis, alii verò circuncisi, & ex ipsa Iudæa. Vtrósque pessimè oderant Iudæi, tum quòd sæuissimi essent exactores simul & fœneratores, maxima saltem ex parte: tùm quòd iniquissimè ferentes Romanorum iugum, pro adulterinis Iudæis haberent eos qui lucrum ex fratrum seruitute captarent, vnde illa Iudæ Gaulonitæ seditio, & illa etiam quęstio, liceret ne Cæsari censum persoluere. Sed gentiles quidem vt incircunciſos penitus auersabantur, aliorum verò congressum magis interdum odio, vel superstitione Pharisaica, quàm iure fugiebant, quum lex neque tributa, neque tributorum exactores, per se damnet: sed vlterius progredi Romanorum metus prohibebat. Itaque à templo vel sacris conuentibus, arcêre ob eam causam nec Matthæum, nec quenquam alium Iudæorum Publicanum audebant. Ideóque etiam orans (at non sacrificans) Publicanus Iudæus apud Lucam introducitur, sed procul stans: ac fortassis in ea remotissima atrij parte ad quam licuisse quoque incircunciſis aduentantibus cum aliqua veri numinis reuerentia ad concipiendas preces accedere constat ex 2. Reg. 8. 41. Refutatio 3. Luc. 18. 13.

Hæc sunt D. Erasti argumenta ex vetere testamento deprompta, quæ nobis quidem (quod eius pace dictum sit) eiusmodi esse videntur vt vix refutatione indigeant. Nunc videamus etiam alia ex nouo fœdere petita.

Ioannes Baptista (inquit D. Erastus) *Sadducæos & Pharisæos, quorum mores adeò non ignorabat, vt etiam progeniem viperarum eos vocaret, à suo baptismo minimè reiecit. Ergo ne à nostris quidem sacramentis, præsertim à Cœna Domini, arcere debet aliquis, nisi Christum constituerit hoc adiecisse ad veterem institutionem.* Arg. 6. D. Erasti, aduersus excommunicationem.

Respondeo causam nullam fuisse cur Ioan. Baptista istos accedentes reiiceret, vt qui ad eius baptismum venitent cum peccatorum agnitione, vt disertè exprimitur Matth. 3. 6. nec essent ab aliis excommunicati: quum nec ipse potestatem haberet eos excommunicandi, etiamsi fuissent excommunicatione digni. Fecit autem Ioannes illud ipsum quod sui muneris fuit (vt nos quoque pro nostrę vocationis ratione facimus) quum accedentes quosuis hortaretur ad resipiscentiam, proposito acerrimo Dei iudicio ex Lege: & simul in Christo iam præsente oblata pec- Refutatio 1.

catorum gratuita remissione. Fecerunt & illi quod decuit, quum peccata sua in primis confiterentur, & peterent gratuitę remissionis peccatorum tesseram. Quorsum hæc igitur ad id de quo agimus?

Arg.7. D. Eraſti, aduersus excommunicationem.

Istud ipsum autem arripiens D. Eraſtus, *Sicut* (inquit) *à circuncisione ad Baptismum argumentamur, vt probemus infantes esse baptizandos, ita etiam licet ab agno Paschatis ad Cœnam Domini argumentari. Ergo quum in Cœnæ suæ institutione, Christus nullius exclusionis meminerit, consequens est, nullum esse ab ea prohibendum.* Refutatio 1. Ego verò non nego licere, & quidem Apostoli exemplo tum à circuncisione ad Baptismum, tum à Paschate ad Cœnam Domini argumentari: at non temerè & vniuersaliter, nisi die demum octauo baptizari velimus infantes, vel ad Cœnam admitti. Refutatio 2. Deinde aio non tantùm Paschæ, sed toti azymorum festo, atque adeò omnibus veteribus sacrificiis Cœnam Domini succesisse. Refutatio 3. Videamus ergo an in eo quod hìc ponit D. Eraſtus valeat comparatio. Paschatis, inquit, negatione vitia non puniebantur: Ergo nec Cœnæ Domini negatione punienda sunt. Num.9.10. Nego antecedens. Constat enim immundos à Paschate prohibetos, & menstruum illis præscriptũ spatium quo expiati censerentur: vnde necessariò consequitur argumentum ab hac comparatione sumptum, prorsus illi repugnans: nempe, sicut à Paschate, sic à Cœna repudiandos immundos. Si immunditia legali externa, & quę vel inuito accedere potuit, cuiusmodi fuit pollutio super cadauere, multò certè magis super contracta per peccatum pollutione, prohibitos fuisse à sacris Refutatio 4. immundos: qua de re alius erit dicendi locus. Moseu verò idcirco speciale ibi cõmemorasse immundiciem super cadauer, 2. Paralip. 30. 17. quòd hac occasione percontatus erat os Domini, non autem vt alias grauiores pollutiones excluderet (quod absurdissimum fuisset, quum alibi legales illæ pollutiones sola Iustralis aquæ aspersione expiarentur: in peccatis verò confessio & sacrificium solenne requireretur) constat ex huius legis praxi quæ sub Ezechia fuit obseruata, vbi generaliter de quauis pol- Refutatio 5. lutione agitur. Christum autem, quum Cœnam instituret, nihil de pollutis præcepisse mirum non est: neque magis inde colligi potest quod vrget D. Eraſtus, quàm nullas esse pœnas constituendas in idololatras, periuros, Sabbati violatores, & reliquos transgressores, quoniam legem in duabus tabulis Refutatio 6. scriptã tradens Dominus, nullas ibi decernit. Sed & Christus non

non nisi inter suos discipulos Cœnam instituens, satis manifestè ostendit solis illis Cœnæ celebrationem conuenire, qui Christi se discipulos profiteantur: quales fateor quidem generaliter omnes censeri qui se tales esse testentur, etiamsi reipsa nihil minùs sint quàm Christiani. Hoc, inquam, fateor, sed addo, primùm de iis hoc intelligendum, quorum hypocrisis adhuc est omnibus tecta: deinde pro non detectis haberi, qui tales esse non fuerint eo, quem Deus in Ecclesia constituit, ordine conuicti, & pro rebellibus damnati: sicut olim à sacris, quibus alioqui generaliter omnes circuncisi obeundis adstringebantur, tum externa immunditia polluti, tum alicuius peccati accusati, & in synedrio damnati, excludebantur, non nisi confessione præcedente admittendi.

Quæ rationes (inquit ille) *valuerunt olim, & nunc adhuc valent aduersus hæreticos sese ab aliis propter eorum vitia separantes, eædem nunc valent contra eos qui alios excludunt à conuiuiorum in Cœna Domini communione.* Vtrumque sanè concedimus, quum vnum ex altero consequatur. Itaque si perperam olim fecerunt Cathari, & Donatistæ, (vel hoc nostro tempore Anabaptistæ) quum se ab aliis, ob vitia quædam segregantes, Ecclesiam lacerarent: malè quoque fecerunt, quòd alios à suis cœtibus prohiberent, quoniam ista inter se prorsus cohærebant. Sed quid hoc aduersum nos, qui non minùs hodie quàm olim veteres hoc factum damnamus? Quid autem excommunicationi, id est iusto & legitimo presbyterij iudicio, apud Ecclesiam promulgato, quo quispiam, alioqui insanabilis, & totam massam contaminaturus, in hunc finem ab illa sacræ inter Christum & Ecclesiam coniunctionis tessera exploditur, vt verè postea restituatur: quid inquam, huic iudicio, quo repurgatur Ecclesia, & putre membrum (nisi per ipsum steterit) sanatur, commune est cum voluntaria ac proinde seditiosa secessione, quæ charitati repugnat, & Ecclesiam, id est Christi corpus, lacerat? Itaque in hoc argumento res dissimillimæ comparantur, & quæ rectè dicuntur contra tenebras, non rectè aduersus lucem dicuntur. Alioqui necesse est, vniuersam veterem Ecclesiam insaniæ coargui, quæ simul & Donatistas damnarit, & excommunicationem legitimam vsurparit. Arg. 8. D. Erasti, aduersus excommunicationem. Refutatio 1.

Denique quid pluribus opus est? Etsi nemo se ab alio separat, quin alter ab altero separetur: tamen magnum est sæpe inter ista discrimen. Interdum enim vtrinque, interdum ex altera Refutatio 2.

tera tantùm parte peccatur. Sic in cõiugio, si tam fidelis ab infideli, quàm infidelis ab infideli sese volens seiungit, vtrinque peccatur, & neuter erit liber. Sin verò infidelis inuitũ deserat
1.Cor.7.15. fidelem, malentem potiùs & studentem Christo eum ipsum lucrifacere à quo deseritur, non erit habendus desertor, sed desertus, &, quoniam extra culpam est, liber erit ex Apostoli doctrina. Sic qui malorum consuetudinem refugit quos mallet esse bonos, vt cum illis versaretur, non est arguendus: vt qui alios à se non arceat, sed contagionem veritus, ideò sese aliis non adiungat, quoniam illi sese sua improbitate ab ipso priores segregarunt, & tollere separationis istius causam recusarunt. Sic diuisionem constituunt peccata inter Deum & nos: sed desertores sumus priùs quàm deserti. Sic de presbyterij iudicio non est quòd conquerantur contumaces excommunicati, qui sese priores suis peccatis ab Ecclesia segregarunt, & illos eò reuocare studentibus obsequi recusant. Sic
Act.19.8. Paulus discipulos obsequentes à contumaciter resistentibus segregauit. Sic optat exscindi, gladio sanè spiritus ad salutem,
Gal.5.13. nisi per ipsos steterit, Galatarum Ecclesiarum turbatores. Num verò illum peccasse dicemus: vt Ecclesiam lacerantes Anabaptistæ?

Arg.9.D.Erasti, aduersus excommunicationem. *Christus* (inquit D.Erastus) *cum suis discipulis in idem templum ingressus est, eadémque cum Pharisæis & summis nebulonibus sacramenta vsurpauit, eodem cum ipsis baptismate à Ioanne baptizatus est, nec eos vnquam à sacramentis excluſit.* Rectè sanè. Quis enim illos
Refutatio 1. à sacris prohibuerat? Cæterùm diuersa est hæc separatio à
Refutatio 2. superiore. Nam illa quidem recta est, qua sese non sine gemitu seiungunt pij ab iis quos sese priores à Deo & fratribus disiungentes, alia ratione sibi rursum adiungere nequeunt. Ista verò qua nonnulli à sacris cœtibus, & recto sacramentorum vsu propter aliquorum vitia vltrò abstinent, id est seipsos excommunicant, magnam reprehensionem meretur.

Refutatio 3. Primùm enim sæpe vsuenit quod illi Pharisæo, nempe vt sit deterior qui iudicat eo ipso de quo iudicat. Et vt sit tam sceleratus quispiam, quàm esse existimatur: tamen si tale iudicium sibi quisque sumat, quæ mox fuerit Ecclesiæ facies? Sed
Refutatio 4. præterea tenendum istud est in hoc negotio, mala cuiuspiam conscientia non pollui rectam alterius conscientiam. Sed & quamuis nunquam facienda sint mala vt bona eueniant, tamen interdum iubet Charitas, vt, quatenus malo non indulgetur,

getur, multa tolerentur, qua de re, copiosè Augustinus præsertim, cum aliis in locis, tum verò vel maximè eo ipso libro quẽ citat ille, lib. videlicet aduersus Parmenianum tertio, contra Donatistas disputauit. Nihil hoc autem aduersum nos, vt modò dixi. Et hic meminisse oportuit eundem Christum, sua illa summa potestate extra ordinem vtentem, quum vendentes & ementes è templo eiiceret, manifestè indicasse quid & ipse fuisset facturus, si Leuitico munere fungi pater cœlestis eum voluisset, & quid à sacerdotibus oportuerit ex Legis præscripto fieri. Refutatio 3.

Christum excipit (D. Erastus) *in suos saltem potestatem habuisse, nec tamen Iudam manifestum furem & proditorem cum sacerdotibus pactum, cuius etiam proditionem discipulis interrogantibus aperuit, à sacra Cœna prohibuisse, vt multi arbitrantur. Quòd si etiam Cœnæ non interfuit, vt nonnulli volunt, saltem constat ab agni esu non fuisse prohibitum. Immò etiam constat Iudam quoque à Christo fuisse missum ad annuntiandam salutem, data etiam illi aduersus immundos Spiritus potestate, & ad consilia actionésque eius omnes admissum, tametsi quis esset, & quid ageret, Christum minimè lateret. Et quis neget, inquit, minus esse hominem malum ad Cœnam admittere, quàm ministerium ei committere?* Nos verò in huius argumenti serie multa cogimur reprehendere. Primùm enim ambigitur à doctissimis quoque de huius argumenti fundamento, an videlicet Iudas interfuerit Cœnæ illi, quæ fuit eiusdem institutio. Et quòd ad me attinet, quum scribat Ioannes, Iudam ante absolutum epulum discessisse, assentior iis qui ante Cœnæ institutionem Iudam discessisse sentiunt. Deinde quòd crimen proditionis fuisse occultum idcircò negatur, quia iam pactus erat Iudas de proditione cum sacerdotibus, nullius est momenti, quum vel ipsum proditionis nomen ostendat fuisse coniurationem paucis quibusdam notam, ac præsertim ipsi familiæ Christi prorsus incognitam, vt ex historiæ narratione liquet. Argu. 10. D. Erasti, aduersus excommunicationẽ. Refutatio 1. Ioan. 13. 30. Refut. 2. Ioan. 13. 28.

Nihilo firmius est quod additur, Christum id in Cœna patefeciſſe. Nam vni Ioanni id patefecit, à quo nec Petro nec alij cuiquam tunc quidem fuisse indicatum, ex eo liquet quòd disertè scribitur, accumbentium aliorum neminem cognouisse cur ei discedenti, dixisset Iesus, Quod facis, fac citiùs, Et quid Apostolis Christus patefecit? non sanè quid quam factum, sed id quod futurum erat, Vnus, inquit, vestrûm me proditurus est. Et quorsum patefecit? non vt Iudæ crimen tunc innotes- Refut. 3.

cerct,

ceret,sed vt posteaquam res esset peracta,discipulorum fidem
Ioh.13.19. horum verborum memoria confirmaret. Iam nunc,inquit,dico vobis, priusquàm fiat, vt quum factum fuerit, credatis me eum esse. Deinde quòd attinet ad furtum,& alia fortassis Iudæ flagitia, fuisse illa discipulis perspecta, vnde tandem colligitur? Nec enim quòd Ioannes furem illum appellat,ita accipiendum est, ac si tunc temporis id discipulis constitisset: sed quia res ipsa postea docuit, quo animo Iudas de hoc vnguento effuso, & de pauperum cura loquutus esset. Matthæus autem alios etiam discipulos indignatos fuisse dicit,sed alio pro-
Refut. 4. culdubio quàm Iudas affectu, quamuis præpostero. Fuerunt hæc igitur sanè Christo probè cognita, sed tum vt Deo & κατ' οἰκονομίαν, tum, vt sibi, quatenus homo erat,reuelata. Quorsum hoc autem ad ministerium Ecclesiasticum, quod non nisi de rebus humana ratione non autem extraordinaria reuelatione compertis, & cum Ecclesiæ offendiculo coniunctis, tale quicquam decernit,quale illud est de quo nunc agimus? adeò quidem vt etiamsi suis oculis minister quempiam viderit aliquid agentem,quod Cœne Exclusionem mereatur,iure tamen,nec debeat,nec possit nisi vocatum, conuictum,legitimè denique secundùm constitutum in Ecclesia ordinem damnatum, à mensa Domini cum auctoritate prohibere. Et hoc miramur Christum in crimine adhuc hominibus occulto, nec dum etiam patrato, Christum, inquam, officium disciplinæ Mosaicæ
Refut. 5. adhuc vigentis minimè vsurpantem, facere noluisse? Præterea quum manifestos etiam peccatores, priùs erudire, monere,increpare, patientissimè denique expectare, quàm excommunicare, charitas iubeat, etiam si largiremur publica fuisse Iudæ crimina,& Christo impositum quoque fuisse Leuitarum munus, quid aliud fecerit tamen Christus, Iudam adeò patienter ad resipiscentiam alliciens, quàm quod ipsi hodie, salua nihilominus Ecclesiastica potestate, faceremus, donec insanabilem sese quispiam re ipsa ostenderet? Sed & alterum illud
Refut. 6. quod D. Eraſtus vrget,nempe *quòd maius sit quempiam malum ad ministerium quàm ad Cœnam admittere*,ad rem non facit. An enim ipsemet quempiam quem constaret Iudæ similem esse, ad ministerium admittendum censeret, repugnante Apostolo, qui ministros vult esse ἀνεπιλήπτους? an vel re ipsa, vel suspicione iusta, furem domi habere œconomum sustineremus? Vtrumque igitur fecit Christus, non vt minister præscriptam electi-

onis

onis regulam sequens, sed vt filius voluntati patris obsecundans, vt implerentur quæ de ipso prædixerant Prophetæ. Ista verò quorsum ad ordinem Ecclesiæ subuertendum?

Christus (inquit D. Erastus) *iussit omnes edere illum panem, & ex illo poculo bibere: ergo neminem vult excludi qui se suum discipulum profiteatur.* Id verò nos concedimus, adeò quidem vt ipsos etiam hypocritas (sicut antea dixi) quandiu vel penitus sunt tecti, vel neque auctoritate publica conuicti & damnati, inter discipulos numeremus. Verùm qui factis Christum negare legitimo iudicio conuictus, Ecclesiam audire non vult, & damnatus seipsum deprauare, & Ecclesiam pergens offendere, edere nihilominus panem Domini citra resipiscentiæ testimonium non veretur, quo iure inter discipulos censebitur? Nam postulare Cœnam Domini, & sola voce mortem Christi, quam ille reipsa profanare pergat, profiteri, negamus satis idoneum esse resipiscentiæ testimonium, in iis qui Ecclesiam non audientes, quam etiam fortasse non semel fefellerint, verbo Christum fateantur, factis autem abnegent. Deinde quis putarit Christum quum Cœnam institueret, quæ est nostræ cum ipso mysticæ concorporationis tessera, voluisse quęquam aliter quam dignè ad suam mensam accedere? Dignè igitur accedentes inuitans, & omnes tamen edere præcipiens, non præcepit certè indignis vt quales erant accederent: sed ita hortatus est, vt resipiscendo sese ad illud epulum compararent, satis, interprete postea Apostolo, monés ne aliter affecti accederent. Et quid aliud agit presbyterium, contumaces prohibitione acceſſus, ne seipsos perdant & alios corrumpant, ad dignum acceſſum eos ipsos quos excommunicat præparans?

Argu. 11. D. Erasti, aduersus excõmunicationem. Refutatio 1.

Refut. 2.

Apostolus tamen (inquit D. Erastus) *agens de iis quibus veligio non erat in Idolæo vesci idolothytis, non arcet eos à Cœna, sed primum reprehendit quòd maiorem haberent libertatis, quàm charitatis erga proximos rationem: deinde etiam magis vrget, socios illos dæmoniorum fieri demonstrans, qui ad dæmoniorum mensam accederent.* Imò verò, quid apertiùs dici potuit ab Apostolo? Non potestis, inquit, poculum Domini bibere & poculum dæmoniorum: non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum. Obsecro enim, cur poculum potiùs quàm sanguinem, cur mensam Domini, potiùs quàm corpus nominauit, nisi vt symbola cum rebus ipsis, id est, externam Cœnæ actionem, cum eius fructu coniungeret? Potuisset enim hîc quoque scribere

Argu. 12. D. Erasti, aduersus excõmunicationem. Refutatio 1.

vt

vt alibi, Quæ enim societas est Christo, cum Belial? luci cum tenebris? fideli cum infideli? Manifestè igitur significat Paulus non posse ad Cœnam Domini accedere, qui idolorum sacris communicent. Quòd si quis excipiat posse tamen externæ actioni idololatras interesse, at non intus Christum participare. Respondemus Apostolum de eo non agere quod possit aliquis contra ius & fas, sed de eo demum quod iure & bona conscientia fieri potest. Itaq; illud, Non potestis, idem prorsus declarat atque, Absque Dei offensa non potestis, siue, vobis nefas est. Et quis miretur Apostolum ista scribere, qui cum falsò nominatis fratribus, non tantùm idololatriæ, verùm etiam multò leuiorum criminum damnatis, ideóque ex Ecclesia eiectis, ne cibum quidem priuatim sumendum dicat?

Refut. 2.

Refut. 3.

Arg. 13. D. Erasti, aduersus excõmunicationem.

Idem Apostolus (inquit D. Erastus) *de patribus loquens, inquit eos omnes de eâdem esca spirituali edisse, & eôdem potu spirituali bibisse. At inter eos fuerunt idololatræ, fornicatores, tentatores, murmuratores, quos postea Dominus prostrauit in deserto. Isti igitur non arcebantur à sacramentis, sed corporalibus pœnis coerciti sunt.* Applicat autem D. Erastus eadem illa nobis Apostoli verba, *qui omnes de vno pane edimus, & de eôdem poculo bibimus. Ergo ne tales quidem à sacramentis arcendi sunt, sed à magistratu potiùs castigandi, quo cessante, significat Apostolus multos Corinthi dormiuisse, id est fuisse à Domino ex hac luce sublatos, quòd indignè ad Cœnam accederent: exclusos autem à Cœna nullos commemorat, nec etiam excludendos fuisse mones.*

Refutatio 1.

Respondeo primùm, quòd omnes etiam indignissimi Mannam ederint, & ex aqua rupis biberint, peculiari ratione factum fuisse, quæ neq; in veterum sacrificiis, neque in nostris sacramentis locum vllum habet. Sic enim erant res illæ spirituales, id est rerum spiritualium, ipsiúsque adeò Christi typi, vt interea corporalia essent beneficia, toti populo corporaliter pascendo destinata: ac proinde inter illa non recensenda quæ fuerunt tantum sacramenta. Nullum igitur hic discrimen seruari potuit, aut debuit, inter bonos vel malos: mundos, vel immundos: quod in sacrificiis factum fuisse constat, quæ (ne iis quidem exceptis in quibus pars maxima offerentibus ad sacrum epulum cedebat) non alendorum corporum propriè, sed fidei fouendæ & communis confessionis edendæ causa, erant instituta, vt de holocaustis taceam. Itaque dissentanea est ista comparatio, nedum vt cum illis oportuerit nostra conferri.

Refut. 2.

Deinde vt istud discrimen, quod tamen est maximi momenti omittam,

omittam, etiamsi plerique olim fuerunt scelerati inter eos qui sacramentis illis pasti sunt, vt sunt etiamnum hodie nimium multi inter eos qui ad Domini mensam accedunt: an idcircò rectè colligitur nullum fuisse excommunicationis vsum? nihilo certè rectiùs, quàm si diceremus nullum esse gladij ciuilis sanctum vsum, quoniam plurimi passim impunè in vrbibus viuunt, quouis scelerum genere cooperti: aut sub lege nullam fuisse oblationem pro peccato requisitam, quoniam plurimi ad aram accedebant, manibus sanguine oppleris. Præterea non omnes certè mali noti sunt: multi sunt hypocritæ: magna est pastorum socordia, nec quicunque malus est, ideò ex Ecclesia statim est eiiciendus, quum à mitioribus remediis sit incipiendum. Interdum quoque (vt arbitratur quidem Augustinus) cogit necessitas malum tolerare, quod seuerius corrigere non possis, quin deterius sit ipso malo remedium. Denique vt agrum Domini repurges quam diligentissimè, crescit tamen in dies lolium, & maior pars meliorem sæpenumero in ipsis etiam iudiciis superat. Sed propterea cessandū ab officio quis meritò collegerit? *At illos* (inquit) *corporali supplicio castiganit Dominus*. Concedimus, sed quoniam corporali pœna Dominus sui contemptum, vel per se, vel per magistratus, quoties libuit coercuit & coercet, an propterea efficitur, nullum iam tum fuisse, & nunc esse spiritualibus ὑπομίσις locum, quibus peccatores ad tristitiam secundùm Deum, ad resipiscentiam, ad salutem denique, siue cessantibus, siue adhibitis corporalibus, aut merè diuinitus, aut per Magistratum pœnis, adducantur?

Refut. 3.

Refut. 4.

Refut. 5.

At nullos dicit Apostolus coercitos fuisse exclusione à sacramentis, nec etiam coercendos monet. Quasi verò omnia omnibus locis agere oporteat: quasi non in eâdem epistola, quomodo cum fratribus, qui factis negare conuicti essent quod ore confiterentur, agendum sit verè Christianis, & quę sit in grauiorum scelerum reos Ecclesiæ potestas, expressis verbis non docuerit Postremò & illud animaduertēdum est, Paulum nullos illic ex Corinthiis vt illorum criminum reos arguere, sed tantùm ne tales euadant, proposito veterum exemplo, commone facere, quod vel vnum, si D. Erastus attendisset, fortassis hoc argumentum præteriisset.

Refut. 6.

Refut. 7.

Erant tamen (inquit D. Erastus) *Corinthi sectarij: erant ebriosi, quorum exclusionis, Paulus non meminit.* Nempe, quòd absens exhortationibus ad officium illos reuocari posse, confideret.

Refut. 8.

Refut. 9.

Interea

Interea verò, num dissimulat, quid sit acturus, nisi resipuerint? 1.Cor.5.1. Quid vultis, inquit? cum virga veniam ad vos, an cum charitate & spiritu lenitatis? Quæ sit autem hæc virga, nullus magis quàm ipsemet declarat, Romanis præcipiens vt ab iis declinent qui dissidiorum & offendiculorum sunt auctores: & pertinaces: ἀτάκτους, alibi discrtè à communi etiam consortio excludens. Rom.16.17. 2.Thess.3.14.

Arg. 14.D. Erasti aduersus excõmunicationem. *Iubet Apostolus, vt vnusquisque seipsum probet, & ita de pane illo comedat. Ergo quia qui indignè edit, non aliis sed sibi iudicium edit, idcirco debet suam quisque fidem ac vitam scrutari, non autem alieno iudicio à Cœna abstinere.* Enimuerò, quia præcipitur vnicuique vt sese probet, an consequitur probationem ab altero, quum eius exigendæ ratio subest, faciendam excludi? Nam si ita est, quid tandem vel in ciuilibus rebus, vel in Ecclesiæ statu saluum erit? Vnumquenque bonum ciuem diligenter apud se explorare oportet, quis suus sit animus, & quæ suæ vires, si ad dignitatem aut functionem aliquam vocetur: an idcirco δοκιμασίαν reiicienda est? Consulere vnumquemque suam conscientiam oportet an rectè vixerit: an ideò non tenentur iudices in facinorosorum mores inquirere? De nulla re magis laborandum est vnicuique, quàm vt seipsum tentet & exploret, an sit in fide: an propterea vel in Catechumenis probandis, vel in erudiendis rudibus: addo etiam, quod ad rem maximè pertinet, an propterea in probanda eorum qui Ecclesiam non audiunt resipiscentia, nulle sunt pastorum & presbyterorum partes? Certè longè aliter docet Apostolus, exhortans quidem Corinthios vt seipsos probent, sed nihilominus denuntians, fore vt aduersus eos præsens seueritate & potestate à Domino accepta vtatur, nisi videlicet resipiscentes inuenisset: quod certè fieri absque eorum exploratione non potuit. Imò verò quinam magis egent sedula & accurata sui exploratione, quàm ij quibus de reditu in Ecclesiam Dei, suáque resipiscentia cœtui fratrum, ipsíque adeò Angelis probanda seriò cogitandum est? tantùm abest vt priuata exploratio prohibeat quominus de conuictorum resipiscentia presbyterio, vel interdum toti quoque Ecclesiæ constet, vt etiam apud sacerdotes confessio peccati & oblatio ad absolutionem requirebatur. Omnes autem ad sui ipsius probationem, nulla alterius explorationis mentione facta, ab Apostolo remitti nemo mirabitur, qui non certis quibusdam excommunicatis, non

Refutatio 1. 1.Cor.13.6. 2.Cor.13.10. Refut. 2.

Cate-

Catechumenis, sed Ecclesiç ipsi Corinthiacæ, hanc epistolam inscribi considerarit: ideóque generali & ad omnes in vniuersum pertinente commonefactione, hoc quidem loco Apostolum fuisse contentum, quum (nisi quis alius esse quàm videri velit, delatus & conuictus fuerit) quicunque Christianismum profitentur, veri esse Christiani meritò præsumantur. Quid plura? si sua ipsius cuique exploratio præcepta sufficit: quo iure in Germanicis Ecclesiis pridie Cœnæ Domini, omnes qui ad Cœnam accedere cogitant ad pastorem suum accedere iubenter, & tum de fide, tum de resipiscentia rogati respondere? Et quinam possint qui hoc agunt de nostra seueritate conqueri, quum ipsi quidem ab omnibus ad Cœnam Domini accessuris, nos autem à solis delatis & legitimè conuictis, resipiscentiæ testimonium exigamus? Refutatio 3.

Prætereundum non est (inquit) *Apostolum non scripsisse, vt si quis sese indignum cognouerit, à Cœna abstineat, sed hoc posito, quòd accedere debeat, iubere etiam atque etiam, vt caueat ne iudicium sibi manducet. Voluit enim omnes participare, sed interim optauit vt omnes dignè participarent.* Immò non tantùm optauit, sed etiam horrendo proposito Dei iudicio cauit Apostolus nequis vltrò sibi iudicium accerseret. Istud verò haud satis scio an ita vt oportuit obseruent, qui Cœnæ quidem Domini interesse cogitantes, etiam nec suspectos nec delatos, ad fidei & resipiscentiæ suæ rationem coram pastore reddendam, maiore certè quàm nos seueritate, adigunt, cæteros autem patiuntur arbitrio suo seipsos excommunicare. Nos verò hæc verba Christi, Hoc facite, sanè expressum mandatum continere minimè negamus, ac proinde hanc fuisse Apostoli mentem, vt si qui se indignos sentirent, non putarent se reos non esse coram Deo si à Cœna abstinerent, quum eos potiùs laborare oportuerit vt dignè accederent. Tantùm autem ab eo absumus, vt quoad eius fieri potest, quenquam à precepto Cœnę Domini celebrandę absoluere seipsum patiamur, vt è contrario contumaces presbyterium indignos esse qui ad mensam Domini accedant, idcircò pronuntiet vt studium dignè ad illam testata pœnitentia accedendi in ipsis excitet: & ne excommunicatis quidem sed solis absentibus, vel morbum vel aliud necessarium impedimentum causantibus exceptis, quoties Cœna Domini celebratur, si Cœnæ Domini non interfuisse comperiantur, ad presbyterium vocentur: vbi qui excommunicati fuerant seuerè increpantur, Arg. 15. D. Erasti aduersus excommunicationē. Refutatio 1. Refut. 2.

pantur, quòd suam ipsorum salutem aspernati edere distulerunt suæ resipiscentiæ testimonium, & sedulò commonefiunt vt oblatam tantam gratiam, primo quoque tempore amplectantur: cæteri verò, nisi iustam excusationem attulerint, pro delicti ratione redarguuntur. Illud autem nunquam concesserimus, præcepisse Paulum, vt etiam qui se indignos esse sentirent, indignè potiùs ad Cœnam accederent, quàm ab ea abstinerent. Nam certè nihil hoc esset aliud, quàm obedientiæ prætextu, ad mandati transgressionem homines impellere, quum grauiùs etiam peccet qui indignè ad Cœnam accedit, quàm qui suæ indignitatis sibi conscius, nec dum ad tentationem vincendam satis potens, à mensa Domini mauult abstinere, quàm grauius iudicium sibi accersere.

Refutatio 3.

Arg. 16. D. Erasti, aduersus excommunicationē.

Non vult regnum suum externum, Christus, in his terris, circunscribi angustioribus finibus inter Christianos, quàm voluerit olim Deus inter Iudæos Ecclesiam concludi. Voluit autem omnes, tum Iudæos & exteros quoque circuncisos earundem ceremoniarum, fieri participes, & sceleratos gladio plectí mandauit. Ergo hic etiam vult Christus omnes baptizatos seu Christianos rectè de religione sentientes ijsdem ceremoniis externis vti, flagitiosos autem à Magistratu coerceri. Propositionem concedimus, assumptionem distinguimus. Sic enim omnes Iudæos voluit Deus eadem sacra participare, vt tamen nonnullos, nisi resipiscentiam aperta confessione & detestatione testarentur, excluderet: quem ordinem & nos sequendum dicimus, quum excommunicationem tuemur. Deinde quod dicitur de sceleratis gladio plectendis, in omnibus locum non habet, quum omnia scelera capitalia nunquam fuerint: imò etiam ob multa facta excluderentur homines à templi aditu, quibus nulla pœna ciuilis erat constituta. Denique respondeo vt huius argumenti membra cohærerent, sic potiùs colligenda fuisse. Non vult angustius regnū suum Christus sub Euangelio quàm sub Lege fieri. At fieret angustius si excommunicationi locus esset inter Christianos, cui locus inter Iudæos non fuit. Ergo, &c. In hoc autem argumento, non ea tantùm, quam modò diximus, ratione assumptionem inficiamur, verùm etiam duabus alijs non minùs apertis. Tantùm enim abest vt excommunicatio imminuat fidelium cœtum, vt contra maximè adaugeat, quum è contrario idcircò exerceatur, tum ne fermentum totam massam vitiet, vt nos docet Apostolus: tum vt ouis quę aberrauit (alioqui peritura, quoniam alia nul-

Refutatio 1.

Refut. 2.

Refut. 3.

Refut. 4.

la

la ratione se patitur ad viam reuocari) ouili restituatur. Contrà verò interfectione contumacium, quam etiam in eos qui fermentato pane tempore azymalium vsi essent maluisse, in his thesibus contendit D. Erastus, quis non videt ouium numerum, quòd ad exteriorem saltem cœtum attinet, sine vllo remedio imminui, ac breui tempore, si hæc sententia obtineret, ad perexiguum & penè nullum numerum redigi?

Hùc videntur (inquit D. Erastus) *spectare similitudines vetis, nuptiarum, zizaniæ, quæ nihil adimunt Magistratui suum munus legitimè exercenti, sed monent tantùm in externo Christi regno seu Ecclesia, bonos & malos futuros, qui tamen ex ea non sint eiiciendi, ne pro malis bonos aliquando extirpemus.* Agnoscimus Catholicorum aduersus Donatistas (quibus hodie successerunt Anabaptistæ) argumentum, sed longè alio consilio propositum: nempe partim aduersus voluntarias secessiones, quasi vbi vitiosi sunt, Ecclesia non sit: partim etiam aduersus immodicam quorundam in exercenda excommunicatione seueritatem: quod vtrumque nos quoque damnamus, quum hæc potestas non sit ad destructionem, sed ad ædificationem data. Nam aliqua sunt etiam mala non temerè mouenda, nec impetu, sed sensim medicanda. Sed aliud est rem ipsam tollere, quàm, quod olim Catholici aduersus Donatistas faciebant, & nos quoque pro viribus facimus, abusum damnare. Illę verò similitudines de vniuersali Ecclesiæ repurgatione, nunquam ante vltimum diem futura, loquuntur, quæ particulares euulsiones, siue à Magistratu, sine Ecclesiastico iudicio legitimè factas non prohibet.

Arg. 17. D. Erasti, aduersus excõmunicationem.

Auguſt. toto lib. 3. contra epiſt. Parmeniani.

Et hæc quidem omnino sunt D. Erasti argumenta ex quibus minimè dubitat quin excommunicationem ostenderit, non modò nullo prorsus Prophetarum aut Apostolorum verbo niti, verùm etiam apertè & Dei mandatis, & Prophetarum ac Apostolorum exemplis refutari. Sed quo iure ex his rationibus id colligat, non recusamus quin alij diiudicent. Nunc ad tertiam ipsius scripti partem accedimus, in qua constituimus excommunicationem tum expresso Dei verbo, tum etiam & veteris & Apostolicæ Ecclesiæ exemplis, confirmare.

Confirmatio perpetui vſus excommunicationis in Eccleſia.

Arborem illam vitæ, partim sacramentum & tesseram animalis simul & immortalis vitæ, cuius tunc erant compotes Adamus & Heua, partim etiam Christi typum fuisse, à quo me-

Arg. 1. pro excommunicatione.

lior etiam illis erat speranda vita, ipsa cognominatio illius arboris ostendit: itidémque paradisi appellatio, ad cœlestem illam sedem translata: & Ioannes in Apocalypsi. Ejectio igitur illa ex illo paradiso, aspectum & vsum huius arboris illis adimens, quid aliud fuit, quàm, vt ab Augustino quoque appellatur, excommunicatio, & quidem omnium grauissima? vtpote irreuocabilis quòd ad priorem illam immortalem ereptam vitam attinet, non in illis tantùm duobus, sed in omnibus ipsorum posteris. Quominus autem, quum illud decretum MORTE MORIERIS vtramque mortem complectatur, Deus non sit illud vtrinque exequutus, obstitit immensa illa ipsius bonitas: peccatum illorum sic puniens, vt inde sequuta statim non sit mors ipsa, sed mortalitas, post aliquam animalis vitæ vsuram: & præterea alteram mortem non modò non infligens, sed resipiscentibus, & beatum illud semen nasciturum amplectentibus, pro amissa animali immortalitate, spiritualem illam infinitè præstantiorem tribuens: pro typo illo denique nunquam ipsis restituto, aliud sacramentum multò expressius, & eorum conditioni in quam per peccatum inciderant conuenientius substituens: sacrificia videlicet, quibus nostram cum Deo reconciliationem, iam tum & in illorum duorum, & in posterorum credentium animis obsignare cœpit: cæteris fide carentibus, excommunicationi perpetuæ, ac proinde exitio perpetuo obnoxiis. *Atenim,* dicet aliquis, *vbi presbyterium? Nihil igitur istud ad hanc de qua disputamus excommunicationem.* Ego verò quamuis Deus ipse tum in cœlis apud se iudicium illud decreuerit, tum in terris hanc sententiam extra ordinem tulerit, tamen inde effici nego diuersam hanc fuisse reipsa excommunicationem ab ea quam sub Lege synedrium exercuit, & nunc in Ecclesia Christiana presbyterium in terris exercet: quum eadem fuisse fatendum sit Patriarcharum, & Leuitica sacrificia, quamuis plurimis circunstantiis diuersa.

Luc. 23. 43. 2. Cor 12. 4. Apoc. 2. 7.

Arg. 2. pro excommunicatione ex vetere testamento. August. lib. de Ciuit. 15. ca. 1.

Alterum excommunicationis, non maioris tantùm, verùm maximæ, adeóque anathematis horrendi exemplum in Caino habemus, quem quum ob fratricidium pronuntiat Dominus maledictum, addita perpetui à sua facie exilii pœna, simul illum ab externo cultu prohibet: vt rectè Augustinus dicat, ab eo tempore duas ciuitates cœpisse, vnam Dei, quæ est Ecclesia, cuius peculiares sunt ritus sacri promissionibus adiuncti, &

extra

extra quam non est salus: alteram verò huius seculi, ex qua exeat oportet, quisquis non vult interire. Neque causa est rursum, cur hoc vt à nobis excogitatum repudietur, quum Lutherus excommunicatum fuisse Cainum apertè scribat, quod de anathemate est intelligendum: & Aben Ezra, illa verba, A facie Domini, expendens, rectè omnino, vt mihi quidem videtur, moneat, quum alioqui Domini sit terra, id omnino referendum ad locum cultui Dei destinatum, vbi etiam patribus apparêre soleret, putà vbi Adamus conuenire cum sua familia consueuerat, à quo videns ille infelix sese nulla spe reditus eiici, rectè statuit sese à Dei quoque conspectu repelli.

Fuit igitur etiam ante Legem Mosis, ipso Deo auctore, vsurpata excommunicatio, quam postea exercuisse Adamum cum suis liquet ex illa filiorum Dei à filiis hominum distinctione, quæ sub Enos, Adami nepote, manifestè in vsu esse cœpit. Sic enim vertendus est & explicandus locus ille Mosis, sub natiuitatem Enos (natus est autem ab occiso Abele annis circiter centum & sex) cœpisse agnominationem ex Dei nomine: anathemate videlicet quo percussus fuerat Cainus, ad hæredes etiam ipsius, paternam impietatem sequutos (exceptis si qui sese familiis Sethi adiunxerunt) propagato, & perstante harum duarum familiarum separatione, donec tandem corruptela ipsam familiam Sethi, id est Ecclesiam inuaderet, quæ fuit quoque diluuij causa. Quinam igitur fuerit excommunicatio humanum recens commentum, quam ipsemet Deus ab ipso mundi exordio, ante constitutum suæ domus ordinem exercuit?

Iam verò quòd ad Legem Mosis attinet, ciuilibus & Ecclesiasticis iudiciis constitutis, non temerè fuisse quosuis, licet circuncisos, ad sacros cœtus adhibitos negari nō potest. Quid est autem excommunicari si hoc non est? Primum igitur arcebantur immundi à templi aditu, à sacrificiis, ab esu Paschæ, imò & à communi conuictu, quum quicquid tangerent immundum quoque fieret, quod argumentum, quum tam parui faciat, D. Erastus, vt penè insanire dicat qui ad illud confugiunt, operæpretium est ipsius rationes sigillatim expendere: qua in re si paulò fuero prolixior, & quædam etiam repetiero quæ superiùs attigi, spero facilè mihi benignum & veritatis amicum lectorem id esse condonaturum. Arg. 3. pro excommunicatione ex vetere testamento.

Non loquitur (inquit D. Erastus) *scriptura de ea immunditia, de*

Refutatio obiectionum aduersus tertium argumentum.

qua nobis sermo est, nec illa immunditia legalis quicquam ad nostrum scopum pertinet. Legalem hanc immunditiem quo sensu appellet, vellemus paulò saltem planiùs ab ipso fuisse expositum. Coniicimus tamen legalem ab eo dici, quæ merè carnalis siue externa esset, neque aliud quàm corpus attingeret. Vtcumque sit, magnopere hoc pertinere ad nostrum institutum arbitramur. Ponamus enim, prorsus fuisse qualem esse vult, cui tamen persuaserit, quod sæpe inculcat: eos videlicet qui sceleris, vel peccatum admisissent, pro immundis non habitos: qui verò cadauer aut aliud eiusmodi vetitum exteriùs attigissent, vsque adeò impuros habitos, vt quosuis alios suo contactu inficerent, nedum vt sacris interesse ipsis liceret? Imò quis non potiùs, vel iniquissimam fuisse Legem Dei (quod vel cogitare nefarium est) existimet, vel quantò turpior est animi, quam vnius corporis macula, tantò istos, quàm illos habitos fuisse impuriores?

Obiect. 1.

Resp. 1.

Resp. 2.

Et certè ita esse, mox demonstrabimus. Præterea vel inanes has ceremonias legalis immunditiæ fuisse dicat oportet, vel aliquid adumbrasse. Quidnam autem illud sit, sepositio contentionis studio, liquidò constare potest: id ipsum nimirum, quod omnibus ceremoniis commune est, vt carnalia κατ' ἀναλογίαν sint spiritualium figuræ: ac proinde corporis sordibus, pollutio interior, vel ab ipso hominis exortu, vel aliis postea vitiis, vel vtroque modo contracta, sit designata, velútque oculis ipsis subiecta, vt quod homines maximè volunt nescire, vel in oculos inuitorum incurreret.

Obiect. 2.

Resp. 1.

Resp. 2. Colos. 2. 14.

Resp. 3.

Quum autem scriberet D. Erastus, non præsentium, sed futurorum vel præteritorum figuras proponi consueuisse, nimiùm angustis finibus profectò circunscripsit legalium ceremoniarum vsum, quod vel vnica circuncisio docere potest, cuius vsus in rem quoque præsentem, nempe pollutionem carnis significatam respiciebat. Denique nihil planius ea de re dici ab vllo potest quàm ab Apostolo, vbi rituum chirographum nobis contrarium dicit cruci affixum, & è medio sublatum fuisse per Christum: quoniam ritus illi videlicet non tantùm erant futuræ expiationis, sed etiam præsentis coram Deo promeritæ condemnationis symbola. Imò etiam hodie Baptismum, & nostræ natiuæ presentis corruptionis, & nostræ simul renouationis symbolum esse constat. Itaque quum ab hac externa, & legali impuritate, ad interiorem argumentamur, tanquam

quam ad vmbra, ad ipsius rei corpus, non obtrudimus vllas ambiguas aut commentitias allegorias, sed id affirmamus, quod res ipsa verum esse coarguit.

Negat D. Erastus animos fuisse illa legali, id est externa impuritate contaminatos. At ego quæro, an non sit peccatum, vel cogitare, vel facere, vel dicere, quod Deus vetuit, quantulumcumque tandem illud sit. Hoc igitur quum ita se habeat, sequitur vt sciamus peccarítne aliquis an secus, non in ipsius rei quæ præcipitur naturam inquirendum, animum ne videlicet an corpus respiciat, sítne externa, an verò ad conscientiam propriè respiciat quod præcipitur, sed quærendum esse demum an contra factum Dei præceptum, sit quidpiam, vel minùs. Itaque Paulus de politicis quibuscunque ordinationibus loquens, parendum esse dicit magistratui, non propter iram duntaxat, verùm etiam propter conscientiam: habita videlicet non ipsius præceptionis, imò ne magistratus quidem ipsius propriè, sed præcipientis Dei ratione: cui quisquis non paret, sit peccati reus. Idem ergo multò magis de ciborum discrimine, de huius vel illius rei contactu vitando, denique de re quauis, vel per se, vel probandæ hominum obedientiæ causa, ab ipso Deo constituta statuendum: eius videlicet præcepti voluntaria transgressione, etiamsi nos aërem verberare, clauum pangere, quidquid denique vel leuissimum agere iuberet, conscientiam ipsam peccati ream, ac proinde impuram ac immundam constitui. Alioqui quo iure protoplastos illos, & nos in illis, Deus, propter esum arboris interdictæ, irreuocabili prioris mortis pœna mulctasset?

Obiect. 3. Resp. 1. Rom. 13. 5.

Ad hæc obiicit D. Erastus, & quidem peracutè, multas potuisse contrahi eiusmodi immunditias, partim terrore cum nulla culpa coniuncto, vt si quis casu tetigisset immundum aliquid: deinde quòd eiusmodi nonnullæ impuritates essent merè naturales, vt in gonorrhea & menstruis: denique quòd interdum talis etiam immunditia legalis non posset non admitti quin peccaretur, nedum vt conscientiam pollueret, vt quum immundus habebatur qui mortuum sepeliuerat, quum tamen nefas esset mortuum relinquere insepultum. Ad hæc autem respondeo, de primo illo immunditiæ legalis genere, quanuis qui sese sciens & prudens pollueret, grauiùs peccaret, tamen quum ignorantia iuris peccantem non excuset, & in iis quæ Deus prohibet vitandis, nunquam satis attenti & circunspecti

Resp. 2.

spectí esse possimus, nullum hic locum peccato penitus excusando relinqui. Ad reliquas verò duas harum impuritatum species quòd attinet, fateor iis non fuisse pollutam conscientiam, ac proinde qui sic haberentur immundi, abstentos duntaxat fuisse, non autem propriè excommunicatos: Deo nihilominus sic volente natiuam nostram illam labem, & mortis originem ac naturam quasi in speculo contemplandam cunctis quoque proponere. Neque id mirum videri debet, quum fortuiti quoque & inuoluntarij homicidij reus, excedere ex asylo vsque ad summi sacerdotis mortem prohibitus, non certè apud Deum excommunicatus, neque (sicut loqui solet Moses) exclusus ex Israele haberetur, & tamen ab aditu templi & sacrificiis toto illo tempore excluderetur, sicut & leprosi, (ne excepta quidem Maria Mosis sorore) donec à lepra essent mundati. Nos autem de verè & propriè excommunicatis hic agimus.

Neq; sanè sic inter ista immunditiarum genera distinguendum videtur, quin ista firmissima sit collectio. Egebant omnes legali immunditia impuri sacrificiis pro delicto, etiamsi ignoranter fecerant quicquam contra vlla Dei præcepta. Erant ergo rei alicuius peccati: quæ certè consequutio negari nullo modo potest. Num.5.6.

Obiect.4. Resp.1. *At enim* (inquit D.Erastus) *non tamen arcebantur à sacrificio, sed potiùs ad id adigebantur.* Ista verò conclusio vana est, quum duo ista non sint contradictoria, ita vt vno posito alterum tollatur, si rectè intelligantur. Nam inuitabantur quidem ad sacrificia, sed ad ea primùm omnium sacrificia, quorum necessitas illis imponebatur, in quibus oportuit vt confiterentur peccatum, quod alioqui luerent, ex illo Dei verbo, Portabit iniquitatem suam, adeò vt non alia Lege in gratiam cum Deo & ipsius Ecclesia redirent. Erat enim hæc confessio particularis quæ conceptis verbis fiebat, ideóque vocabatur, Confessio verborum, cuius hanc etiam formulam edunt Iudæorum doctores, fidi proculdubio hac in re testes, in hæc verba Mosis, *Et erit quum deliquerit in vno ex illis* (recensuit autem etiam externam immunditiam initio capitis) *confitebitur quòd ipse peccauerit in ea re, & adducet oblationem pro delicto.* Hæc confessio, inquiunt illi, ita fiebat ad quam etiam Dauid Psal.51. & Daniel, 9.4. & filius ille prodigus, Lucus 18. alludere videntur. *Manus imponebat eiusmodi reus capiti hostiæ immolandæ,* & id quidem inter cornua

nua eius, deinde sic dicebat, *Obsecro ô Domine, peccaui, iniquè egi, & præuaricatus sum coram te, sic & sic feci. Ecce pœnitet me, & pudet me operum meorum, nunquam reuertar ad rem istam,* Ergo vt ad rem redeam, eos qui non nisi adhibita confessione & expiatione ad sacra inuitabantur, fuisse, nisi id facerent, à sacris prohibitos, ipsa lex sanè ostendit. Nos verò quid tandem aliud agimus, & quò respicimus, quum quempiam excommunicamus? num vt à Domino maneat alienatus? imò vt qui se à Deo alienauit, resipiscentiam testatus, iterum recipiatur: qua in re tantùm absumus à seueritate, vt exceptis grauissimis peccatis & offendiculis, priuatam in presbyterio pœnitétiam duntaxat requiramus: & in publica pœnitentia pastor sit peccatoris pœnitentis apud Ecclesiam interpres.

Obiect. 5. Supereſt fortassis vna exceptio, nempe, *quum omnes iam* tum essent peccatores, oportuisse omnes esse excommunicatos, si valeat quod diximus. Respondeo, re vera quoties peccamus, si Resp. 1. Deus summo iure nobiscum agat, nos toties ab eo alienari, neque in gratiam vnquam, nisi præeunte resipiscentia & fide recipi: sed absit vt quoties peccatum fuit toties excommunicationis sententiam adhibendã fuisse, vel nunc esse dicamus: aut publicum resipiscentiæ testimonium à singulis personis flagitemus. Quàm enim multa nobis solis conscíis, in dies & horas admittimus, quæ priuata coram Deo confessione, adiunctis precibus, condonantur? quàm multa priuatim admittimus in proximum, quæ eliminari minimè necesse est, & quę culpæ coram Deo deprecatione ex fide facta, & mutua recóciliatione deleri possunt inter Christianos, ac etiam debent? Quorsum etiam erant quotidianæ preces, cum sacrificiis matutinis & vespertinis institutæ sub Lege? Quorsum nunc quoque sacros conuentus à reatus nostri cõfessione auspicamur, nisi vt quotidiana peccata, absque alia vlla cognitione, nobis condonentur? De solis igitur grauioribus peccatis, & cum offendiculo Ecclesiæ coniunctis, publicæ satisfactiones intelligendæ sunt, quæ partim vltro fiebant, etiam quum nulla præcessisset excommunicationis sententia, & sub Lege vt diximus, & in prima etiam Ecclesia, vt ex Ioannis Baptistæ histo- Matth. 3. 6. ria, & Actis Apostolicis intelligi potest, quum adulti ad bap- Act. 19. 19. tismũ admitterentur: partim verò præeuntem excommunicationis sententiam consequebantur. Quum enim sacerdotis & iudicum munus esset de huiusmodi controuersiis ex Le-

ge

ge Domini pronuntiare, siue de iure, siue de facto controuersia erat, satis intelligitur oportuisse iudices, aliquid pronuntiare. Ea verò, ne si voluisset quidem synedrium, clandestina esse poterat, quum in templo fieret peccati confessio & expiatio.

Obiect.6. Denique quod non semel scribit D. Erastus, *eos qui impurè vixissent, aut flagitium admisissent, non fuisse apud Mosen impuros, siue immundos, sed eos qui legali tantùm & externa impuritate sese polluissent, id est funus, aut cadauer, aut rem aliàs vetitam tetigissent, vehementer miramur.* Etenim, vt antea diximus, iniquissimum fu-

Resp. erit tale quippiam de Deo cogitare, quod tam seuerè externum contactum Lege sua puniat, ad flagitia verò manifesta veluti conniueat. Quibus ergo criminibus pœnæ capitales erant constitutæ, vt homicidiis, adulteriis, ea si incidebant, non erat cur de spirituali coercitione magnopere sollicitũ esset synedrium, nisi fortasse magistratus officium non faceret: & nunc quoque si fungerentur suo munere magistratus, de istiusmodi excommunicandis hominibus minimè laboraremus. Quibus verò vel nullæ vel ciuiles tantùm mulctæ indicebantur, ea si incidebant, eum quem diximus ordinem seruari debuisse Moses disertis verbis significat, expressis etiam

Leuit.6. quorundam eiusmodi facinorum speciebus, veluti si quis adiuratus deflexisset à veritate: si casu contigisset vt quispiam iusiurandum transgrederetur, si quid fraude ablatum retinuisset cum periurio, quæ sunt σωιεκδοχικῶς intelligenda, sicut & omnia ferè præcepta, vt, quum singularia omnia legibus comprehendi non possint, certis tamen regulis constitutis, idem ius

Ez.9. & 10. de rebus paribus statuatur. Itaque etiam apud Ezram eiusdem iudicij forma solennis in eos seruatur, qui alienigenas vxores duxerant, decreta etiam in rebelles anathematis sententia.

Obiect.7. In hoc autem explicando, probare D. Erasti sententiam non possumus, tradentis in suis illis thesibus totam rem istam

Resp.1. nihil ad sacramenta pertinuisse, Cedò verò quamobrem? *quia, inquit, constat non sacerdotem Ezram, sed principes & seniores seu magistratus edictum illud promulgasse.* Atqui si valet hæc ratio vt quicquid à magistratu decernitur, ad sacra non pertineat,

Resp.2. quónam res reciderit? Imò si hoc verum esset, quo iure vellet sacra ciuiliáq; omnia, penes eandem potestatem esse, vt olim fuisse contendit? Itaque ex eo quod profert consequi negamus,

mus, quod ipse colligit, nempe totum hoc negotium ciuile quiddam fuisse: sed potiùs functos officio suo fuisse magistratus asserimus, qui ab ore Domini per Ezram loquentis, pendentes, auctoritate sua confirmarit, quod ille ex Dei verbo referebat. Fuisse verò ista ad Ezram relata, tanquam ad eum Resp.3.
propriè pertinentia, illi ipsi indicant, qui rem totam iudicarunt. *Surge enim*, inquiunt, *negotium enim istud ad te pertinet, & nos tecum sumus, Age igitur fortiter.* Illa igitur ratio prorsus con- Obiect.8.
cidit. Publicatio autem bonorum, illud idem non euincit, sed
contrarium prorsus confirmat. Quomodo enim anathemate Resp.1.
percussis, ac proinde execrabilibus, adeóque à Rep. Israelitica
segregatis, licuisset Pascha, vel sacros alias ritus celebrare?
Quid plura? illud ipsum quod causam huic iudicio præbuit, Resp.2.
idem planè confirmat. Fuerat enim hæc mens Ezræ & sacerdotum, vt nemo celebraret Pascha, nisi qui ab immunditia indigenarum sese segregasset, quod quum factum non esset, hinc illa apud Ezram conquestio. Oportuit ergo contra legem feciſſe, qui retentis prophanis vxoribus, Pascha celebrarant, id quod etiam ipsius Ezræ grauissima & luctuosissima confessio coram Deo declarat. Quod ni veniam isti, peccato palàm agnito, & addita expiatione fuissent deprecati, an obsecro, ces- Resp.3.
sante etiam bonorum publicatione, ad sacra fuissent admissi?
Ezdræ autem factum immeritò à D. Erasto in dubium reuocari, recténe videlicet fecerit an secus, ex superioribus facilè fuerit diiudicare.

Idem de Ioſiæ facto dictum volumus, à quo quum D. Erastus diceret, pollutos etiam ipsos fuisse ad Paschæ celebrationem conuocatos, minimè debuit prætermittere, sic fuisse vocatos, vt ve & verbis idola quibus seruierant detestarentur, quod etiam sedulo factum fuisse narrat historia. Sed quid si noluisset quispiam illi idolorum & scelerum Obiect.9. 2.Paralip. 35. Respon.
anteactorum execrationi assentiri? nempe vel eiectus fuisset, Obiectio 10. Respon.
vel, si errore id accidisset, expiatione fuisset opus, sicut sub Eze- 2.Paralip.30.
chia factum fuerat. Itaque etiam adhibitos fuisse ianitores refert historia, quorum hoc quidem munus vel præcipuum fuisse ex Ioiadæ historia liquet, vt accedentes quoquo modo pollutos à foribus templi repellerent. 2.Paralip. 23.

Arg.4.pro excommunicatione ex vetere testamento.

Supereſt locus insignis ex cap. Num. 19. vbi de separationis aquis differitur. Illis igitur aspergi debere immundos, inquit Moses, & addit. *Vir qui pollutus fuerit, & non expiauerit se, exterminabitur anima illa de medio congregationis.* Dixerat autem paulò Num.19.13. 20.

ante,

ante, *exterminabitur anima illa de Israel, eò quòd sanctuarium Domini polluerit, & aqua separationis non fuerit sparsa super eum, vnde manebit immundus.* Ex istis igitur verbis hæc necessariò effici dicimus, primùm, fuisse separatos, id est à reliquorum commercio exclusos illos immundos, de quibus ibi agitur, sed finito septem dierum spatio, & nisi ritè intra illos expiati fuissent, adhibita separationis aqua (id est illis separatis, cum Ecclesia hoc visibili testimonio reconciliandis destinata) si ausi fuissent nihilominus sese tanquam ritè expiatos immiscere, tum fuisse ex numero Israelitarum expunctos, nec alio loco habitos quàm incircuncisos. Probant autem ista manifestè vtramque, de qua superius egimus, excõmunicationem, nempe voluntariam vnam, quum vltro sese quispiam, quòd se immundum sciret, à reliquis se iungebat, & expiationibus vacabat: alteram per quam, ex sententia proculdubio synedrij, ad quod iudicia de mundis & immundis pertinebant, cuipiam
Leuit.10.10. sacris omnibus, adeóque aris & focis interdicebatur: qua de re mox plenius agemus, Et de veteris quidem fœderis testimoniis hactenus.

Arg.5.pro excommunicatione, ex nouo testamento. Ex nouo testamento, primùm proferimus locum Matthæi, *Si peccauerit in te frater tuus, ito & arguito eum inter te, & ipsum solum: si te audierit, fratrem tuum lucratus es, si verò te non audierit, accipe tecum vnum adhuc vel duos, vt in ore duorum vel trium testium, sit*
Matth.18.15. *firmum totum negotium: quòd si neglexerit eos audire, dic Ecclesiæ, quòd si Ecclesiam audire neglexerit, sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus. Amen dico vobis, quicquid ligauerit in terris, erit ligatum in cœlis: & quicquid solueritis in terris, erit solutum in cœlis.* His verbis, cum vniuersa omnium ætatum & locorum Ecclesia, affirmamus disciplinam quæ sub Lege, in vetere populo, Deo authore, viguit, eodem auctore in Christiana Ecclesia constitui: ex qua tum ipsi Iudices, tum ij qui rei sunt, tum etiam cœtus vniuersus, quod suum sit munus intelligant: quam omnem disciplinam his thesibus comprehendi non incommodè posse existimo.

Dei voluntas est vt nemo ne ex minimis quidem pereat, sed potiùs qui aberrarunt, quàm commodissimè fieri potest, in viam reuocentur.

Itaque in offendiculis non manifestis, primùm omnium danda tibi est opera, vt illum priuata inter te & illum commonefactione, peccato suo intellecto, resipiscentem, & Satanæ ereptum

ereptum lucrifacias.

Quòd si sese contumacem ille præbuerit, tamen ne tunc quidem de illo bene mereri definito, sed, adhibito vno & altero teste, coge, si potes, illum sui rationem habere.

Si tunc quoque rebellis fuerit, tum demum Ecclesiæ, id est presbyterio, ab Ecclesia ad hoc ipsum diuinitus constituto, rem indicato, à quo commonefiat officij.

Quòd si in presbyterium quoque contumax fuerit, tum planè habeatur ille, non vt frater, sed vt si esset incircuncisus & Publicanus.

Erit autem Ecclesiæ, quæ huiusmodi rebellem hominem tam grauis damnationis vinculis constrinxerit, iudicium in cœlis ratum, vt & eiusdem absolutio, si peccatum agnouerit.

Hunc igitur locum sic explicamus, omnibus certè quos vidimus, tum nouis, tum veteribus intetpretibus, sine vlla contiouersia, consentientibus. D. Erastus verò his argumentis commotus, aliter sentit. *Agitur*, inquit, *de leuioribus delictis, & quæ alij aliis remittere tenentur, quorum reticendorum facultas penes nos est, non autem de grauibus illis sceleribus quæ volunt nonnulli excommunicatione vindicari.* Obiect. 1.

Nostram autem huius loci interpretationem sic rursum pluribus explico. Christus (non certè ciuilis sed spiritualis Legislator, & regnum illud suum non esse ex hoc mundo, tum voce, tum reipsa testatus quum neque diuidundæ hæreditatis iudex esse, neque in adulteram ferre sententiam vellet) non agit de forensibus controuersiis, quibus damnum nobis factum resarciti cupimus, aut alioqui ius nostrum priuatum coram Magistratibus persequimur: ac multò minùs agit de prouocationis iure, cæteríve eiusmodi: immò ne de priuatis quidem offensis Christianæ condonandis, quod est prorsus diuersum, & distinctè posteà Christus Petro respondet: sed de offendiculis agit, id est, de iis quæ quum incidunt, conscientiæ nostrę statum perturbant, non ob priuatum aliquod damnum: sed quoniam, vel si quid fit quo Dei præceptum violetur, nos animo angi oportet: vel malis exemplis instruimur ad malum, vt alicubi loquitur Apostolus. Denique peccati in aliquem admissi nomine quum hìc intelligantur, interprete Luca, offendicula, quæ propriè respiciunt conscientiam, regnum cœlorum, Dei tribunal: non autem quasuis offensiones aduersus proximum conceptas, ista (quanuis sint nimiùm sæpe coniunctissima) Ioan. 18. 36. Luc. 12. 13. Ioan. 8. 10. 1. Cor. 8. 12. Luc. 17. 1. & deinceps.

iunctissima) sunt isto loco tamen accuratè discernenda, & diuersis egent remediis, ciuilia videlicet ciuilibus, spiritualia spiritualibus: quorum illa sunt à legibus humanis & Magistratibus, ista verò à Dei Spiritu petenda, in cordibus nostris vel immediatè per ipsam conscientiam, vel mediatè per fratres, aut publicum ministerium nos admonentis, ac efficaciter etiam immutantis. Christus igitur, verus & vnicus istius mali medicus, in hac concione apud Matthæum diuinissimè descripta, indicat in primis omnium ferè offendiculorum fontem, nempe quòd alij alios, præsertim imbecilliores, despiciant: & tanti mali auctoribus statim ab initio, nempe vers. 6. & 7. & deinceps, iudicium interminatus, tria subiicit remedia. Vnum (vers. 8. & 9.) vt occasiones, quas ex nobis ipsis arripit, turbandis nobis, Satan, cum quouis potiùs ciuili nostro damno fugiamus, quàm vltrò nos demus in ipso offendiculo præcipites: quòd & nostra & proximi nostri salute nihil debeat nobis esse charius. Alterum (à vers. 10. ad 15.) vt alij aliis præsertim infirmis manum porrigamus: quod fiet si eos non despexerimus, vt qui quantò sunt infirmiores, tantò maiori curæ sint Deo Opt. Max. & quantò maius est periculum in quo versantur, tantò cauere nos studiosius oporteat ne prorsus concidant. Huius autem doctrinæ pulcherrimam applicationem videre licet apud Paulum ad Rom. c. 14. & 1. ad Corinth. 8. vbi de Christianæ libertatis vsu differit. Tertio autem loco docet Christus, admissis iam offendiculis, quem ordinem seruare deceat reuocandis in viam fratribus, qui offendiculum aliis præbuerint. Tractat autem vnicam hac in re hypothesin, nempe si offendiculum non sit publicum, sed, exempli gratia, intra priuatos parietes, nec palàm admissum. Nam si palàm, & quasi omnibus conscijs tale quidpiam sit factum, hinc quoque facilè colligi potest, quæ sit tenenda ratio, quam docet etiam Paulus expressis verbis, & suo ipsius exemplo. Etenim si in eiusmodi priuatim admissis offendiculis isto duplicis admonitionis circuitu idcircò vtendum est, priusquàm ad presbyterium res deferatur, ne temerè spargatur ignis quem potiùs sopire charitas iubet: res ipsa ostendit publicum offendiculũ requirere, vt si publica redargutio, de qua loquitur Apostolus 1. ad Tim. 5. 20. non suffecerit, quòd non sint omnes Petro similes, & Gal. 2. 14. vt ei publica auctoritate remedium afferatur, siue de vno quopiam agatur, vt Tit. 3. 10. siue de pluribus: aut

de

de doctrina, aut de moribus quæratur, iubente Apostolo tolli fermentum, ne tota massa inficiatur, non tantùm verbo παραιτεῖσθαι, Tit. 3. 10. sed etiam verbo ἀφίστασθαι, 1. ad Tim. 6. 5. immò etiamsi verbo. ἀποφεύγειν, Act. 19. 9. In occultis igitur offendiculis mandat Christus, vt fratrum pudori simul & saluti consulentes, priuatam primùm fraternámque admonitionem adhibeamus: quæ si ex animi sententia successerit, tum (inquit Christus tanti lucri spe homines ad istud charitatis officium excitans) lucratus es fratrem tuum, id est reuocatum ad agnitionem peccati, seruasti. Sin verò nihil obtinueris, ne tamen desine (inquit Christus) saluti proximi studere, sed tamen prudenter age. Itaque hoc ipsum rursum tenta, sed adhibitis testibus: partim vt admonitio repetita maius habeat pondus, partim ne si deferendus fuerit reus, id est si hanc quoque admonitionem contempserit, & adeundum fuerit presbyterium potiùs quàm sinatur frater contumax perire, testes tibi desint, ex quibus, si sit opus, & de tua charitate constet, & contumax ille redarguatur. Vbi verò iudicium tulerit Ecclesia peccatorem ad resipiscentiam vocans, si perrexerit ille in sua contumacia, tum demum extremo remedio opus est, abscissione videlicet, vt loquitur Apostolus, Mosen inuitatus: ac proinde officio tuo defunctus, non alio loco eum habeto quàm incircuncisum, & impudenter peccantem, quicum ne communem quidem cibum velis capere, nedum vt ad communia sacra admittatur. Quisquis autem est eò vsque contumax, sciat iudicium illud Ecclesiæ, quod donec resipiscat pronihilo ducit, non minùs in cœlis ratum esse quàm in terris, quum agat Ecclesia nomine Dei quod agit, siue liget, siue soluat. Hanc autem excisionem, salua, quoad eius fieri potest, charitate intelligendam esse, & ad ipsius peccatoris salutem adhiberi, docet suis locis Apostolus. Christus igitur (quod & D. Erastus agnoscit) hac formula DIC ECCLESIAE vtens, haud aliter habuit & loci in quo tum versabatur, & temporis, quod tunc adhuc vigebat, rationem, quàm quum alibi de fraterna eius qui alterum læsit reconciliatione loquens, altaris & oblationis meminit. Ideóque cum omnibus & veteribus quos quidem noui, & recentioribus interpretibus, existimo hanc formulam, TANQVAM *Ethnicum esse & publicanum & τοσωκαρχον declarari, Tradi Satanæ, Abscindi, Arceri à communi conuictu, Excommunicari, siue ex Christi membris non censeri*, vnum & idem prorsus in genere declarare.

Gal. 5. 12.

1. ad Cor. 5.
2. ad Thess. 3. 15.

Matth. 5. 23.

D. Eraſtus autem totum hunc locum pro excommunicatione nihil facere aduerſus illam receptiſſimam interpretationem ſequentibus obiectionibus contendit, quas ſigillatim conabor refutare.

Obiect. 1. D. Eraſti, aduerſus ſuperiorem noſtrã explicationem.

Primùm igitur diſſentit ille à nobis in eo de quo hîc agitur. Vult enim *Chriſtum hic loqui de leuioribus delictis, & quæ alij aliis mittere tenentur, quorum reticendorum facultas penes nos eſt: nos autem de grauibus illis ſceleribus, quæ nos velimus excommunicatione mediari.* Item, *Chriſtus, inquit, de publicis iniuriis hîc non inſtituit ſuos diſcipulos, ſed quomodo priuatæ iniuriæ ſint inter priuatos tranſigendæ.* Item, *non inſtituit hoc loco Chriſtus diſciplinam ſeu gubernationem ſpiritualem, ſed docet quomodo priuatæ iniuriæ ſint ſine offenſione proximi componendæ.*

Reſp. 1.

Reſpondeo primùm in genere de iniuriis, quas dico dupliciter conſiderari, nempe vel quatenus alter ab altero præter ius & æquum facto vel dicto læditur: ſiue in ſeſe, ſiue in ſua exiſtimatione, quòd Græci ἀζίωμα vocant: ſiue in bonis & facultatibus ſuis, quod eſt Græcis ἀδίκημα: vel quatenus alicuius, etiam propriè ſeu directè non ita læſi, conſcientia offenditur. Sic nemo vir verè bonus quiuis aliquid iniuſtè dictum vel factum æquo animo ferre poteſt: verè autem Chriſtianus longiùs etiam progreſſus offenditur, quoties aduerſus Deum aliquid, ſiue prioris, ſiue poſterioris tabulæ violatione commiſſum, vel ipſe videt, vel aliunde intelligit, vnde illud Pauli, 2. Cor. 11. 29. Quis offenditur, quin ego vrar? Hinc illa animi commotio exoritur, quæ in ſacris præſertim literis, zelus dicitur, interdum quidem iuſta & cum ſancta indignatione, qualis fuit illa Moſis Iſraelitas inter ſe contendentes arguentis, (quę res poſteriorem tabulam reſpiciebat) & quum prior tabula eſſet violata, duas illas tabulas confringentis: itidémque Prophetarum paſſim omnium, ipſiúſque adeò Chriſti in primis: interdum autem cum ignorantia coniunctus, qualis fuit ille ſæpiſſimè Iudæorum, quum Chriſti non ſatis cogniti ſermonibus offenderentur, & Euangelium poſtea in Apoſtolis perſequerentur: quod & ipſi Paulo, quum adhuc Phariſæus eſſet, vſuuenit. Huiuſmodi verò dicta vel facta, Dei quidem ipſius reſpectu ἁμαρτήματα vel βλασφημίαι propriè dicuntur: hominum autem, quorum conſcientia ſic offenditur, habita ratione, in ſacris literis generali quidem nomine non ἀδικήματα, ſed ἁμαρτήματα, id eſt peccata, propriè verò & peculiariter σκάνδαλα vocantur,

vocantur, quæ Latini Theologi offendicula interpretati sunt, quòd offensus animus, quasi ad ea impingens, resiliat: vnde verba illa σκανδαλίζειν, & σκανδαλίζεσθαι, tam frequenter in scriptis Apostolicis occurrentia. Perperam igitur tum voces istæ, tum res ipsæ profectò ista D. Erasti expositione confunduntur, quod his rationibus probo. Primùm ex Matth. & Lucæ verbis. Nam ἁμαρτάνειν quidem sæpissimè in sacris literis pro σκανδαλίζειν accipitur, scandali verò & scandalizandi voces semper ad conscientiam & Dei tribunal referuntur: & quanquam sæpè ἀδικήματα, & ὕβρεις sunt scandalorum initia, tamen id perpetuum non est: & tunc quoque quum id accidit, sunt ista dico distinguenda vt diuersa, quum posterius à priore exoriatur. Resp. 2.

Deinde Christum vel vt luris consultum ciuiliter, vel vt Philosophum ἠθικῶς de mutuis iniuriis amicè & pacatè transigendis fuisse loquutum, ac non potiùs de eius qui vel in læso proximo vel directè in Deum peccarit, tum pacanda conscientia, tum procuranda salute, nullus vnquam mihi persuaserit: quum illud quidem sit à Christi spirituali regno diuersum: istud verò cum Euangelij ministerio coniunctissimũ. Sed & hoc demonstrant apertissimè verbum ἐκέρδησας lucratus es: Christo videlicet, ex peccato & morte erepto: quod frigidum admodũ fuerit de bona alterius gratia recuperata intelligere: itidémque ECCLESIAE vocabulũ, quod de cognitione apud iudices merè ciuiles accipere perabsurdum est. Nam alioqui totos dies & noctes sedisse iudices oportuerit, si de quibusuis alterius in alterum peccatis, quę amicè componi non potuerunt, interpellandi fuerint: sicut de offendiculis, siue per se publicis, vel initio quidem priuatis, sed postea per peccatoris præfractam cõtumaciam patefactis, necessariò cognoscere debet Ecclesia, id est presbyterium: ne de pastorum & seniorum manu requiratur peccatoris sanguis. Verba enim ista, DIC ECCLESIAE, non simpliciter quid fieri vel nõ fieri possit declarat, sed quod necessariò & ex Christianæ charitatis officio faciendum est præcipit, vt & priora illa Argue, & Assume. Resp. 3. Resp. 4. Ezech. 33. 4.

Accedo ad alterum Erasti dictum, in quo contendit de priuatis delictis siue iniuriis hîc agi, id est quibus vnusquisque iam duntaxat sit læsus, ad quem etiam pertineant verba ista Argue, Assume, & Dic Ecclesiæ: suam hanc sententiam confirmans istis Christi verbis. IN TE. item INTER TE ET ILLVM SOLVM: item SIT TIBI. Ego verò priuatum offen- Obiectio 2. D. Erasti.

diculum intelligo, quod priuatim, id est non palàm, nec publicè, audientibus quibusuis, sit admissum, nec tamen vsque adeò priuatum, vt vnus tantùm semper fuerit offensus, nedum vt de
Resp. 1. ciuili vnius alicuius occulta læsione possit accipi. Etenim si res ita se haberet, quinam testes in illa repetita admonitione aduersus inficiantem possint adhiberi? & quibus tandem testimoniis reus præfractè contumax ab Ecclesia posset coargui? Immò ne conuenire quidem propriè videntur ei ipsi in quem ciuiliter esset peccatum istæ Arguendi siue Obiurgandi partes, si prorsus illi soli nota esset ista læsio. Quid si enim aduersarius cõtumax se potiùs læsum esse regereret? aut, vt fieri nimium sæpe consueuit, totum illud factum inficiaretur, quod nullis testibus probari posse intelligeret? nónne qui sic læsus esset vlterius progrediens, vt hîc facere iubet Christus, discordiam augeret, ac etiam ipse sibi malum accerseret? Functus igitur fuerit hominis Christiani minuere talis quispiam, eum à quo læsus esset priuatim officij admonens, &, quum longiùs procedere tutò nequiret, testatus potiùs acceptam iniuriam sese vltrò condonare, contumacem alterum arcano Dei iudi-
Resp. 2. cio relinqueret. Quæ quum ita se habeant, istis quidem vocibus IN TE, INTER TE, SIT TIBI: fateor singularem aliquam personam intelligi, sed neque illas de vnico tantùm conscio accipi posse arbitror: neque ei propriè cui sit facta iniuria, partes istas semel atque iterum arguendi, ac tandem ad Ecclesiam reum deferendi conuenire puto: sed tertio potiùs cuipiam, cuius conscientiam quispiam vel in altero fratre lædendo, vel in Deum ipsum directe peccando, non quidem palàm & publice, non tamen sine testibus offenderit, à quibus, si sit opus, coarguatur. Est enim inter id quod publicè fit, & id quod vnico tantùm conscio admittitur medium quiddam, quam demùm hypothesin hîc tractat Christus.

Obiect. 3. D. Erasti. Iam accedo ad tertium illud quod existimat D. Erastus, nempe *de leuioribus tantùm delictis hîc agi, quæ alij aliis remittere tenentur, & quorum reticendorum facultas penes nos est.* Id quod tribus argumentis confirmat, quæ sigillatim à nobis excutientur.

Primùm igitur hoc est ipsius argumentum, vt probet de leuiculis tantùm iniuriis hîc agi, *quoniam* (inquit) *de grauibus sceleribus non potuit ita inter priuatos transigi.*
Resp. 1. Ista verò coniectura, quàm multis certissimis argumentis refellitur? Nam de atrocissimis

cissimis etiam iniuriis,immò & de criminibus,(excepto in Israelitica politia homicidio voluntario) quòd ad priuatum damnum attinet, transigere inter se priuatis iure conceditur. Immò atrocissimas etiam iniurias condonare tenentur Christiani, neque necessariò apud Magistratum illas persequi coguntur,vt apparet ex Iosephi exemplo: neque ius suum persequi odio,vel vlio vindicandæ iniuriæ affectu Christianis licet. Christus autem hoc loco, sicut paulò antè ostendimus , non simpliciter quid facere sui causa , vel non facere Christianus aliquis ab altero læsus possit, sed quid facere ex Christiana charitate teneatur, aduersus eum, qui seipsum aduersus Deum,ipsa conscio,obfirmarit. Leuit.21.31. & 24.21. Resp.2. Matth.1.19.

Addit postea D.Erastus alteram sententiæ suæ rationem, *quòd grauia scelera probabile sit reos non fuisse confessuros.* Istud verò cuiusmodi tandem est? Nam leuissima quoque negari possunt, & nimiùm sæpè consueuerunt : nec magis adhiberi testes, vel in Ecclesia conuinci reus quispiam potest in leuibus delictis , quàm in grauissimis, si vno duntaxat conscio fuerit peccatum, quo modo vult D.Erastus has priuatas iniurias intelligi. Resp.3.

Aliud autem eius argumentum nihilo firmius est , nempe *quòd grauiorum scelerum reus non dimitteretur impunitus.* Nam duo præsupponit D.Erastus,quæ ipso contextu refelluntur.Verba enim illa,Si Ecclesiam non audierit,manifestè ostendunt Ecclesiam minimè fuisse mutam,sed sententiam, secundùm allegata & probata,& quidem damnatoriam, tulisse. Quænam autem delato & conuicto reo pœna præscripta fuerit,quòd ad conscientiam attinet,ex legibus oblationum pro peccato intelligitur: nempe confessio, adhibito sacrificio testata, priusquàm ad sacra reus admitteretur. Sublatis autem illis ceremoniis, perspicuè liquet quid presbyterium aduersus eiusmodi peccatores constituerit, nempe vt peccati sui detestatione suam respiscentiam testaretur: quod ni faceret,haud alio loco,quamdiu contumax permaneret,haberetur,quàm olim vel incircuncisus,vel circuncisus quidem foris,sed intus indignus qui inter Israelitas censeretur. Quòd si tale id erat de quo delatus & conuictus fuisset reus, vt ciuilem quoque pœnam aliquam ex legibus mereretur,ea quoque à Magistratu non negligebatur: quod etiam num hodie in Ecclesiis Christianis obseruatur. Sed existimauit nimirum D.Erastus vel impunitum dimitti, Obiect.4. D.Erasti. Resp.4. Leuit.6.2. & deinceps.

Num.5.6.& deinceps. dimitti,qui ciuili pœna non puniatur:vel illud SIT TIBI SICVT ETHNICVS ET PVBLICANVS ad vnicum illum accusatorem referri: quæ interpretatio duabus firmissimis rationibus refellitur. Nam, obsecro, quàm rectè cautum fuisset publicæ paci & concordiæ, si ab vno quidem reus iste pro impio & scelerato, à cæteris verò vir probus & honestus habitus fuisset? Deinde considerasse non videtur D. Erastus illa Ecclesiæ sententia non puniri simpliciter & propriè siue priuatam, siue publicam offensam,sed præfractam & nullis aliis remediis cedentem aduersus Ecclesiam contumaciam: quod peccatum est omnium grauissimum, ideóque solo salutari cauterio sanabile. Quòd si quis roget cur igitur additum sit pronomen illud TIBI,ac cur non scriptum sit potiùs: SIT VOBIS, vel SIT ECCLESIAE, vel indefinitè, SIT VT ETHNICVS: respondeo id factum, quoniam quum ageretur de priuato, id est non publico offendiculo, proposita fuit hypothesis in persona singulari delatoris: quod tamen res ipsa clamat non esse semper præcisè de vno quopiam accipiendum. Quid si enim, etsi non publicum, tamen non vni duntaxat, sed pluribus,intra priuatos tamen parietes obiectum esset istud offendiculum? an tunc statim esset deferendus ad Ecclesiam reus, ac non potiùs ea, quam hic præscribit Christus via, & mitioribus remediis consulendum peccatoris conscientiæ & saluti?

Resp.1. Resp.2. Resp.3. Resp.4.

Resp.5. Præterea,quod mox subiicit Christus,& quidem plurali numero,&,in discipulorum persona,legitimum Ecclesiæ nomine consessum congregatum intelligens, annon demonstrat contumacem reum minimè fuisse impunitum dimissum? Immò publico,id est Ecclesiæ iudicio damnatam ipsius, aduersus totam Ecclesiam in presbyterorum persona, contumaciam? Nec enim istud LIGAVERITIS, & SOLVERITIS vni cuipiam & quidem priuato,immò ne pluribus quidem in Ecclesia *ἰδιώτεις*,sed Ecclesiastica demum auctoritate præditis & congregatis conuenire potest: neque de carceribus aut corporali pœna, sed de spiritus siue conscientiæ constrictione vel absolutione in terris quidem legitimè factis, sed in cœlis quoque ratis,hoc intelligi, tota res ipsa, & spirituale Christi regnum manifestè ostendit.

Obiect.5. D.Erasti. Sic quoque refellitur quod ait D. Erastus *hîc agi de priuatis & leuioribus iniuriis, quarum pœnæ sunt arbitrariæ: ac proinde fieri potuisse*

potuisse vt iniuria vel tam leuis videretur, vt nullam mereretur pœnam, vel leui increpatione castigaretur, qua nihilo melior factus pergeret esse iniurius, ac fieri etiam potuisse vt reus fauore vel gratia eluderetur. Præterquam enim quòd antea certis rationibus ostendimus de iniuriis ciuilibus hîc non agi, sed de offendiculis, quibus suam & aliorum conscientiam lædit qui peccat, nec in verbis Christi vlla est vel leuissima istarum rerum mentio: nec vlla grauior pœna infligi potuit, quàm censeri vt Ethnicum & Publicanum, id est extra Ecclesiam Dei, tum in terris, tum in cœlis. Resp. 1.

Quid plura? si quod vult D. Erastus verum esset, nempe de priuatis & quidem leuibus iniuriis fraternè conciliandis hîc agi, quas etiam remittere teneamur, quînam ista fuerint inter se consentanea? Num enim remittere videtur iniuriam qui fratrem à quo læsus est, præsertim leuiter, non contentus priuatim arguisse, quasi iudicis partes agens, testes etiam aduersus inficiantem, aut sese non summittentem assumat, ac tandem reum ad Ecclesiæ tribunal, siue ciuile, vt vult Erastus, siue Ecclesiasticum compellat? Verba enim illa Christi sunt non simpliciter ostendentis quid vel fieri vel omitti bona conscientia possit, sed quomodo Christianè sit agendum cum proximo offendiculi alicuius auctore, vt eius conscientiæ & saluti consulatur. Vnde & illud apparet ea demum quæ postea Christus Petro respondit, ad priuatas iniurias, quæ sint remittendæ, pertinere, & à superiore tractatione de offendiculis diuersa, atque adeò, quanuis ex charitate (vt cætera omnia) alio tamen prorsus modo esse tractanda, nisi se sanabilem initiò præstiterit qui peccauit. Et hactenus quidem de prima illa quadruplici obiectione. Resp. 2.

Nunc autem ad alia quædam respondeo, in quibus etiam ab illo dissentio in huius loci expositione. Vult enim *ECCLESIAE nomine intelligi synedrium ciuile, siue Magistratum proprium Iudæorum, vt inde colligat hoc loco non institui disciplinam seu gubernationem spiritualem.* Sed huius consequutionis fundamentum eo ipso refellitur quod alibi tuetur D. Erastus, contendens penes vnum & idem synedrium fuisse tum ciuilem, tum Ecclesiasticam siue spiritualem iurisdictionem: qua de re suo loco disseremus, nempe quum ad disputationem de presbyterio ventum erit. Obiect. 6. D. Erasti. Resp. 1.

In his autem verbis. *Sit tibi vt Ethnicus & Publicanus, notandum* Obiect. 7. D. Erasti.

dum est, inquit, *non dici, sit tibi Ethnicus & Publicanus, sed inseri particulam ὡσπερ.* Sed quorsum hoc? & quid hinc tandem consequi potest aduersus excommunicationem? Nam certè contumacia efficere non potuit vt qui circunciſus erat, fieret incircunciſus: aut euaderet publicanus, qui publicanus non erat: Ideò rectè addidit Christus particulam ὡσπερ, ac si diceret, quantumuis iste sit Iudæus & circunciſus (agebat enim de offendiculo fratris in fratrem) perinde tamen eum habeto vt gentilem & profanum, & eodem loco quo publicani Iudæi à Iudæis haberi solent.

Resp. 1.

Obiect. 8. D. Erasti.

Hac autem formula excommunicationem significari negat D. Erastus, ac de nomine quidem Ethnici mox viderimus: de publicano verò loquens, *non memini*, inquit, *legere, vel Matthæum vel Zachæum, vel alium quempiam publicanum à sacrificiis religionis, & templi cæremoniis ac sacramentis prohibitum fuisse.* Ego verò iam antea respondi publicanos Iudæos eo nomine quòd redemptores essent vectigalium non potuisse haberi prophanos. Itaque dubium non est Iudæos Romanorum odio potiùs quàm ob aliud quicquam fuisse publicanis, magis etiam quàm ipsis Romanis, infensos: vt quũ adiicit Christus, TANQVAM PVBLICANVS non decrescat oratio, sicut D. Erastus existimauit, sed potiùs amplificetur, quemadmodum hodie meritò nobis execrabilior esset Christianus aliquis ad Turcæ religionem deficiens, quàm qui Turca natus esset.

Resp. 1.

At non agitur, inquit D. Erastus, *de apostatis publicanis.* Ego verò concedo, non omnes publicanos fuisse manifestos apostatas, ac proinde fateor Iudæos in plerisque modum non tenuisse. Fuisse tamen Iudæis maximè execrabiles Publicanos, satis est ad nostræ interpretationis confirmationem, quoniam in eiusmodi loquutionum genere non semper quid iustè & moderatè fiat, sed simpliciter interdum quid fieri soleat attenditur. Iure tamen Publicanos non superstitiosis solum (à quibus minimè æquum est vt regulã temerè sumamus) sed etiam verè religiosis, fuisse abominandos, declarant etiam querelæ veteres ipsorum Romanorum, aduersus summam Publicanorum auaritiam & rapinas, de quibus sic Liuius lib 45. *Aemulius*, inquit, *in Macedonia ordinanda, metalli Macedonici quod ingens vectigal erat, locationésque rusticorum prædiorum tolli censuit, quòd intelligeret sine publicano ea exerceri non posse: & vbi publicanus est, ibi aut ius publicum vanum, aut libertatem sociis nullam esse.* Quòd si hæc inter

Resp. 2.

ipsos

ipsos Romanos de Publicanis erat existimatio, quid Iudæi de suis qui sese cum illis coniungerent, meritò existimauerint, cuiuis facile est iudicare. Ideò hæc duo vocabula, *Publicani* & *peccatores* ferè coniungi solent in Euangelica historia: & Ioh. Baptista, eos compellans, Nihil ampliùs quàm quod vobis constitutum est, exigite. *At Christus Matthæum & Zachæum inter suos recensent.* Nempe vt Iudæos à nemine iudicatos: & quoniam ille quidem vsque adeò mutatus erat, vt mensam etiam desereret: iste verò eòusque resipuerat, vt quadruplum restitueret. *At cibum capere Christus cum aliis quoque non dubitat.* Nempe vt resipiscentię viam ingressos, adduceret ad Patrem, prout se offerebat occasio: quod cum excommunicatione non pugnat, imò quàm optimè consentit, sicut Apostolus docet. *At reliqui etiam Iudæi, non dicuntur Matthæum aut Zachæum à templo vel sacrificiis prohibuisse.* Imò ne Dominum quidem ipsum: nempe non quòd deesset voluntas, sed quòd potestate Dei arcana, ac metu etiam populi cohiberentur, adeò vt Pharisæi etiam ipsi, interdum cum eo cibum caperent. *At Publicanus etiam in templo precans à Christo introducitur, ex more proculdubio tum recepto.* Concedimus, de Publicanis Iudæis, quos Iudæi inuiti ferre, vt alia multa, Romanorum metu, cogebantur: Ipsos verò interea cum Publicanis sacrificasse, quibuscum erat eis religio consuetudinem vllam habere, ne probabile quidem est.

Resp. 3. Resp. 4. 2. Thes. 3. 15. Resp. 5. Resp. 6.

Ad Ethnici verò nomen quòd attinet, quo se valde premi sentit D. Eraſtus, quòd incircunciſos conſtet (etiamſi pro iis hoc petentibus offerrentur victimæ) ab ipſo quoque templi atrio interiore, vbi erat ſacrificiorum altare, fuiſſe prohibitos: hunc locum ad ciuilem iuriſdictionem tranſlatum, tripliciter explicat. Ac primùm quidem ita, vt hic ſit ſenſus, *Si quis ſic caſtigatus (verbis videlicet) ab Eccleſia, ob leuiculas iniurias, pergat eſſe iniurius, non teneris eum admonere vt priùs, ſed poteris rectà Magiſtratum adire: quæ interpretatio*, inquit, *ſimplex eſt, minimèque coacta, ſed rei naturæ, conſuetudini, & Chriſtianæ charitati conſentanea.* Ego verò aliter prorſus ſentio. Aut enim ex Chriſti verbis, aut ex reipſa eliciatur hæc expoſitio neceſſe eſt. In verbis autem quid tandem inuenietur ex quo de iniuriis leuiculis, de perſeueratione in altera inferenda iniuria, de alio quopiam adeundo tribunali mentionem vllam hic fieri meritò ſuſpicemur? Nec enim, dixit Chriſtus, *ſi leuiter peccauerit*, ſed *ſi peccauerit*, &

Obiect. 9. D. Eraſti. Act. 21. 28. & 29. Resp. 7.

de nullis iniuriis, neque publicis, neque priuatis, sed de offendiculis hic agi antea ostendimus: neque dixit Christus *si peruexerit esse iniurius*, sed *si te*, nempe neque solum, neque cum testibus, *& Ecclesiam* non *audieris*. Dicitur autem non audire qui non obsequitur monenti, id est qui peccatum non agnoscit, nec peccato satisfacit, quod multò minùs est quam iniuriam iniuria cumulare. Neque *habere quempiam vt Ethnicum*, significare potest vocare in ius ad Magistratum Romanum, siue vllum alium. Resp. 2. Sin verò res ipsa spectetur, certè, sicut iam sæpius diximus, vix potest condonasse iniuriam dici (qua de re mox Petro, de priuatis iniuriis, non de offendiculis, roganti Christus respondet, & alibi sæpè præcipit) qui de priuata iniuria (præsertim leui, vt D. Erastus contendit) fratrem non contentus primùm arguisse, deinde adhibitis testibus admonuisse, ad Magistratus vsque tribunal illum reluctantem persequitur. Resp. 3. Immò non paucæ sunt ciuitates, in quibus nulla de leuibus iniuriis datur actio: & actionem priuatarum iniuriarum Resp. 4. Iurisconsulti, non magno temporis spatio definiunt. Denique, vt iterum quod sæpe iam dixi repetam, istæ voces *Assume*, *Argue*, & *Sit tibi*, non sunt simpliciter aliquid concedentis, vel liberum facientis, sed absolutè quippiam præcipientis, ideóque hanc interpretationem manifestè refellunt. Etsi enim bona conscientia potest quispiam Christianus, accepta iniuria, apud Christianum Magistratum de accepto per iniuriam damno queri, modò purum & ab omni odio alienum animum afferat: tamen de leuibus iniuriis vix charitas verè Christiana patitur vt iudex adeatur, & ne ob atrocissimam quidem iniuriam cogitur quisquam Magistratum appellare, si potiùs eam remittere, & quamuis non resipiscenti penitus condonare velit.

Obiectio 10. D. Erasti. Altera D. Erasti huius loci expositio hæc est, *Sit tibi vt Ethnicus & Publicanus, id est, si iniuriosus stare nolit primi synedrij sententiæ (varia enim erant & ἀσύμφωνα Iudæorum synedria) licebit iniuria affecto causam agere apud alia synedria.* Resp. 1. Ego verò concedo varia fuisse pro causarum videlicet grauitate iudicum apud Iudæos concilia, quò etiam alluit Christus Matth. 5. 20. Sed an ab vno ad alterum prouocare licuerit, istud nescio: & vt licuerit, quænam est tandem vel leuissima de prouocationis iure in his Christi verbis mentio?

Tertia expositio est huiusmodi verbis à D. Erasto expressa.

Potest,

Poteſt, inquit, *tertiò dici, & fortaſſe rectiùs, Chriſtum ad ſui temporis ſtatum reſpicientem (quibus bonam partem potentij ſynedrij ad ſe tranſtulerant Romani, præſertim in cauſis iniuriarum & ſimilibus) docere Iudæos non debere cum ſuis fratribus litigare (ne videlicet offenſionis cauſam præbeant) priuſquam experti ſint tranſactionem apud ſuę gentis iudices. Nam ſi Iudæus litem habuiſſet cum Ethnico vel Publicano, cogebatur eum apud præſidem Romanorum in iudicio conuenire. Sis ergo tibi, inquit Chriſtus, pertinax ille frater vt Publicanus & Ethnicus, id eſt ſic cum eo poteris apud profanum magiſtratum agere cauſam tuam ac ſi Ethnicus eſſet.* Hic verò mihi liceat Eraſto Eraſtum opponere. Contendit enim, & quidem multis verbis, Iudæa quoque in prouinciam redacta, Iudæos fuiſſe vſque adeò αὐτονόμους habitos à Romanis, vt penes eos, Hieroſolymis præſertim, capitalia quoque iudicia fuerint. Ego verò quàm iſtud verum fuerit quo tempore vixit & ſermonem hunc habuit Chriſtus, ad illud ipſum tempus accommodatum, nunc non diſputo: ſed hoc quęro, quînam iſtud conſentaneum ſit ei quod hic dicit, Romanos videlicet ad ſe tranſtuliſſe cognitionem de iniuriis & cæteris eiuſmodi controuerſiis inter Iudæos vtrinque litigantes exortis, quam demum hypotheſin Chriſtus hoc loco proponit. Quæro præterea, quum ſatis conſtet quàm ægrè ſeruierint Romanis Iudęi, quînam credibile ſit Iudęũ quempiam, leuij præſertim iniuria affectum, (vt contendit in hunc locum D. Eraſtus) voluiſſe ſuum ius apud Romanorum tribunal perſequendo, totam ſuam gentem offendere, potiùs quàm leuem iniuriam, etiam non ſatisfacienti condonare: vel eum qui teſtibus conuictus & ſynedrij iudicio cauſa cecidiſſet, maluiſſe præ contumacia, in totius gentis odium vltrò incurrere, quàm culpam agnoſcere & deprecari: atque adeò mulctam, ſi qua eſſet ipſi impoſita, perſoluere. Quæro & illud, ſi de his cauſis apud præſidem prouinciæ agi oportuit, an paſſuri fuerint Romani ſynedrium ſiue magiſtratus Iudæorum, (vt D. Eraſtus interpretatur) hanc cognitionem ſibi attribuere. Quæro denique an cauſa apud Iudęorum αὐτονόμων ſynedrium cognita, licuerit ad Romanos prouocare: &, ſi quid eiuſmodi factum eſſet, an ita fuiſſet cautum vel actoris vel rei conſcientiæ, vel publicæ tranquillitati, ac non potiùs ad infinitas publicas turbas patefactus aditus. Iſtud verò certè Chriſto minimè propoſitum fuit: ac proinde ne Paulo quidem, vt qui agens non de offendiculorum remedio, ſed de controuerſiis forenſibus,

Obiectio 11. D. Eraſti.

Reſp. 1.

Reſp. 2.

Reſp. 3.

Reſp. 4.

Reſp. 5.

Reſp. 6.

bus, siue περὶ τῶν βιωτικῶν, disertè, & sine exceptione, Christianos iubet de iure suo quouis potiùs cedere, quàm apud prophanorum tribunal litigare : idcircò potiùs iubens arbitros deligi qui de huiusmodi controuersiis inter Christianos sine fori strepitu statuant: nedum vt hic assentiri possim D. Erasto tradenti iisdem de rebus hic à Christo, & in epistola ad Corinthios priore ab Apostolo quæri, & quod Christus paucioribus hic docuit, à Paulo pleniùs explicari.

Obiectio 12. D. Erasti.

Sed & verba ligandi & soluendi apud Matth. D. Erasto non placet ad synedrij iudicium, sed ad eum in quem sit peccatum accommodari, ita vt hoc loco, *is dicatur ligare, qui iniuriam retinet, quum fratrem contumacem reddit inexcusabilem : & soluere, qui iniuriam remittit, & fratrem iniurioſum admonitione fraterna ad pœnitentiam adductum lucratur. Nam*, inquit, *nisi verba Ligandi & Soluendi de fraterna priuatarum iniuriarum compositione intelligantur, cur Christus postea subiicit* πάλιν λέγω ὑμῖν, *iterum dico vobis, si duo ex vobis consenserint in terra, &c?* Respondeo particulam illam ITERVM, ex communi vsu, repetitam actionem declarare, nec aliud significare quàm particulam *præterea :* sicut, rursum vel iterum loqui dicitur qui loquitur, etiamsi de rebus diuersissimis, immò etiam interdum repugnantibus loquatur. Fateor tamen hoc quoque Christi dictum, vt & superiora, ad mutuam consensionem spectare : at non eam qua quispiam læsus in gratiam cum altero redeat, sed qua coadunatur Deo & Ecclesiæ, qui quopiam offendiculo conscientiam fratris lædens sese quadantenus à Deo & fratre segregarit. Confirmat autem Christus his verbis id quod de iudicij Ecclesiæ in terris pronuntiati ratihabitione in cœlis dixerat, argumento à comparatis sumpto. Nam si duorum aut trium duntaxat, in nomine Dei congregatorum & consentientium preces minimè sunt vanæ, multò magis irritum non erit quod legitimum Ecclesiæ synedrium, in Dei nomine, vt loquitur Apostolus, congregatum, legitimè & ex Dei verbo statuerit, siue ligans, siue soluens. Sed age de reipsa dicamus.

Resp. 1.

Resp. 2.

Primùm igitur respondeo, vt vniuersam scipturam euoluat D. Erastus, nunquam tamen inuenturum verba Ligandi, & Soluendi aliis quam publico ministerio fungentibus, & quidem metaphoricè, diuinæ videlicet & spiritualis potestatis respectu, tribui. Sunt enim iudicialia hæc verba. Ideóque ad ἰδιώτας (id est nullo publico munere in Ecclesia fungentes, quos

quos postea laicos vocarunt) minimè pertinentia: ius autem istud Christi nomine & auctoritate docendi, redarguendi, & erudiendi, quorum priora duo ad dogmata, duo posteriora ad mores spectant, tum ad vniuersalem prædicationem in totius gregis cœtu, tum ad singulas oues prout requirit necessitas, ac etiam ad particulares presbyterij censuras spectat, vt expressis verbi diuini testimoniis, & tum ipsius Christi, tum Prophetarum & Apostolorum exemplis liquet. Ligare igitur ipso interprete Christo, est peccata retinere: Soluere autem, peccata remittere, ídque ex diuinitus concessa auctoritate. Quis ergo illam D. Erasti interpretationem admittat, quasi *ligare quidem sit inexcusabilem reddere: Soluere verò sit priuatam iniuriam condonare.* 2.ad Tim.3. 16. Ioan.20.23.

Deinde, rectè quidem D. Erastus docet in ministerio publico remittere & retinere peccata nihil aliud esse, quàm denuntiare Dei nomine & mandato, remitti peccata resipiscentibus & credentibus, retineri contumacibus & incredulis, quod, sicuti modò dixi, interdum vniuersaliter siue indefinitè toti gregi declaratur, interdum singulis personis in admonitionibus & censuris Ecclesiasticis applicatur. In priuata verò reconciliatione & priuatis iniuriis longè aliter se res habet. Illa enim vnius Dei sunt per os delectorum suorum ministrorum loquentis: istorum autem vnum ex nobis præstare possumus, nempe ius nostrum proximo nostro remittere: alterum autem, nempe iniuriam non condonare, nescio quî tandem piis possit accommodari, præsertim in causis priuatis & leuiculis, de quibus vnis hic agi contendit. Etsi autem quoties etiam priuatus priuatum, ritè ex Dei verbo, & Christiana charitate, vel arguit, vel solatur, neque hoc recipere alter dedignatur, ratum hoc est etiam in cœlis (quo sensu accipiendum est quod ex Theophylacto, & ex Augustini sermone in Matth. 16. mox audiemus) tamen verbis Ligandi & Soluendi, sacram & solennem actionem semper significari affirmo. Præterea quum tria præcesserint in sermone Christi, nempe vna priuata, & inter duos solos, deinde altera rursum admonitio duobus vel tribus testibus adhibitis facta: & tandem delatio ad Ecclesiam: quî tandem fit, vt non ad hanc tertiam potiùs quam ad illas duas hæc verba D. Erastus referat? Nam si duo tantùm sunt, quorum vnus necessariò vel soluit, vel ligat, alter verò soluitur, vel ligatur: certè non potest vni homini congruere verbum Resp.3. Resp.4.

verbum pluralis numeri, Ligaueritis,& Solueritis. Sed ne secundæ quidem admonitioni, ista satis conueniunt, in qua videlicet nulli adhibiti fuerint iudices, sed testes duntaxat. Restat ergo vt Ecclesia, id est, presbyterium, soluere & ligare dicatur, quod & series contextus, & ratio etiam ipsa demon-
Resp.5. strant. Nam obsecro, quæ hæc esset iniquitas, aliquem sedere in sua causa accusatorem simul & iudicem? id quod tamen fi-
Resp.6. at necesse est, si D. Erasti sententia valeat. Quid si culpa penes ipsum reprehensorem fuerit, vt sæpenumero contingit? nempe necesse est fateri eum qui non iustè sit ligatus, eo vinculo non teneri. At ligabit tamen iste, si non de iure, vt vulgò loquuntur, tamen de facto, si D. Erasti interpretationem sequamur: & insontem habebit accusator pro Ethnico & Publica-
Resp.7. no. Quæ autem inde rixæ, quot querimoniæ, quot offendicula, quot tandem schismata exorientur, nedum vt sic consula-
Resp.8. tur, ipsorum priuatorum concordiæ, & Ecclesiæ paci? Quòd si quis excipiat iniustè quoque posse à Synedrio iudicari, concedemus id quidem contingere posse, quod & ipse filius Dei expertus est: ideóque in rectè constitutis Ecclesiis huic etiam malo vitando esse prospectum: sed tamen, nisi quum manifesta est iniquitas, pro synedrio præsumendum esse, ac proinde schisma, nisi hominum improbitate, vix ob eam causam exoriri posse. Denique respondemus, vt non possit omnibus malis prospici, retinendum esse tamen ordinem semel in Ecclesia à filio Dei constitutum, & quoad eius fieri potest, inuiolabiliter
Resp.9. conseruandum. Hunc morem autem quem tuemur, fuisse perpetuum in tota vetere Ecclesia Christiana, quàm multis testimoniis probari possit, mox cognoscemus. Israeliticum verò Synedrion, ea consuetudine vsum fuisse, ad quam Christus his verbis respexit palàm est ex Numer. cap.19. quod supra citauimus, vnde etiam apparet, quid sit Ligare, nempe peccati & immunditiæ laqueis constrictum pronuntiare, denique ex Israele: siue ex cœtu Israelitarum extrudere: vnde consequebatur vt non iam tanquam Israelita, neque tanquam vir bonus, sed veluti incircuncisus & Publicanus, sceleratus videlicet, & impurus aliquis à cœtu censeretur. Adscribam autem præterea quod in suo Thesbite, scribit hac de re Elias Leuita, recens quidem scriptor, sed pererudirus & ex certa veterũ traditione: *Tres sunt*, inquit, *apud nos Iudæos anathematum* (id est excommunicationum) *species, nempe* NIDDVI, CHEREM, *&*

SCHAM-

SCHAMMATA. NIDDVI *est expulsio*, quam separationem diximus partim voluntariam fuisse, quum immundi sese vltro indicabant, & expiationem petebant: partim inuoluntariam, si vt immundus aliquis fuisset à synedrio condemnatus, vnde aqua NIDDA, id est, expulsionis siue separationis vocata est, quòd expiationi istiusmodi hominum esset dicata, adiuncta solenni peccati confessione. *Quòd si quis non respuisset* (id est expiationem iniunctam neglexisset, & synedrij iudicio se immorigerum præbuisset, quod apud Christum est, Ecclesiam non audire) *anathematizabant eum per* CHEREM, & hoc est exscindere ex Israele, siue ex populis suis, siue ex medio congregationis, vt aliquis ampliùs non censeretur Israelita, sed velut Ethnicus, vt Christus loquitur. *Quòd si adhuc pœnitentiam non ageret, meschammatabant eum* (id est reum mortis, videlicet æternæ, iudicabant) *& dicitur* SCHAMMATA, *quasi ibi mors.* Erat autem hoc anathema fortassis irreuocabile, cuius nullum in Ecclesia vsum Chrysostomus admittit, nisi aduersus dogmata. Hæc ille, quibus & superiora plurimùm confirmantur, vt quò respexerit Christus, planè cognoscatur: & multa Pauli loca illustrari possunt.

Denique profert D. Erastus in sua sententia duos locos, vnum ex Augustino, alterum ex Theophylacto. Quod ad Augustinum attinet, concedimus eum (vt & alibi sæpè magnus iste vir, in suis concionibus, non summam habet propriæ alicuius loci interpretationis rationem) in illo quem D. Erastus citat sermone, ad priuatam reconciliationem trahere istam ligandi & soluendi potestatem: sed præsuppositio Ecclesię iudicio, cui subscribens priuatus quispiam, quodammodo & ipse ligare & soluere aduersarium dicatur. Non potuit enim non vidisse tantus vir quàm periculosa, & quantis potiùs discordiis quàm pacificationibus occasionem præbitura fuisset hæc priuatorum iudiciorum licentia. Itaque alibi sic scripsit multò rectiùs & magis appositè, atque adeò veluti in eorum sententiam inuehens, qui stabilita ignoscendi mansuetudine, vellent extinctam esse disciplinam. At ille contra: *Ignoscendi misericors mansuetudo*, inquit, *propter quam dictum est, non solùm septies &c. non ad hoc valet vt sit iniquitas impunita* (hoc D. Erastus concedit magistratui) *aut torpens & dormiens disciplina* (hanc D. Erastus Ecclesiæ tributam negat) *quod potiùs obsit, quàm diligens vigilánsque vindicta.* Non est igitur tyrannicum vel ὑπερβολὴν aliquid

Obiectio 13. D. Erasti. Resp. 1.

Serm. 16. De verb. Domini in Matth.

Resp. 2.

Lib. 1. contra aduer. Leg. & proph. c. 17. Vide etiam locum Aug. tract. 50. in 12. cap. Io. Item. homil. 50.

aliquid excommunicatio, neque Ecclesiæ exitialis est, nec imprudente consilio introducta, si Augustino, vel ipsi potiùs Christo credimus. *Claues quippe regni cælorum, ibidem* (inquit Augustinus) *sic dedit Christus Ecclesiæ, vt non solùm diceret, quæ solueritis &c. Verùm & adiungeret, quæ ligaueritis in terra, erunt ligata & in cœlo, quia bona est & vindicandi iustitia. Illud enim, quod ait, si nec Ecclesiam audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus, grauius est quàm si gladio feriretur, si flammis absumeretur, si feris subrigeretur. Nam ibi quoque subiunxit, Amen, dico vobis, quæ ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlis, vt intelligeretur quantò grauius sit punitus, qui veluti relictus est impunitus.* En quæ sit Augustini, de hoc loco sententia, D. Erasti certè opinioni prorsus repugnans.

Resp. 3. Theophylactum verò non aliud etiam sentire, quàm quod modò dixi, nempe Ligare & Soluere priuatos homines, qui præeunti iudicio Synedrij subscribentes, contumacem aduersarium habent pro Ethnico & Publicano, ex eo ipso loco intelligitur, quem D. Erastus citat, sed non integrum. Ista enim præcedunt, quibus nostra quidem sententia confirmatur, D. Erasti verò dogma prorsus euertitur: ἐὰν δὲ ἐκ τῆς ἐκκλησίας ἀκούσῃ, τότε ἔχω ἀπόλλυτος, ἵνα μὴ τῆς ἰδίας κακίας μεταδῷ ἢ τοῖς ἄλλοις. id est, *sin verò ne Ecclesiam quidem audierit, abiiciatur, ne quid suæ malitiæ, aliis quoque impertiat.* En vt de eiectione ab ipso Ecclesiæ cœtu Theophylactus illud intellexit? Idem autem de solutione quoque quod deligatione intelligendum est. Nam alio qui stare non possent, quæ de priuata condonatione vel retentione commemorat, quoniam nisi resipiscat qui in proximum peccauit, etiamsi millies ei condonarit priuatus quem offenderit, manet coram Deo ligatus: contrà verò qui resipuit, & officio erga fratrem functus est, etiamsi condonare iniuriam is recuset quem offendit, coram Deo est absolutus. Et de istis quidem D. Erasti obiectionibus hactenus.

Nempe ad cap. 18. Matth. vbi Christi verba explicat.

Arg. 6. pro excommunicatione. Matth. 7. 6. 1. Cor. 4. 1.

Vetat Dominus dare quod sanctum est canibus. Sanctorum autem nomine intelliguntur (interprete Apostolo) μυστήρια, *quorum sunt dispensatores qui* ὑπηρέται τοῦ Χριστοῦ *vocantur: & porcorum ista ingressmodi & canum nomina, nullis melius quadrant, quàm iis quos in Ecclesiam priùs admissos, experientia tales esse comprobauit, & Ecclesia iudicauit. Ergo talibus vetat Dominus dare sua mysteria, ac proinde sacramenta dispensare.*

Obiect. 1. D. Erasti. Propositio huius argumenti negari non potest, Assumptio est ψεύδομον. Negat autem D. Erastus nomine Sancti

Sancti & Margaritarum, significari aliud quàm sanæ doctrinę ferociter resistentes. Sed quamnam affert suæ sententiæ rationem? istā videlicet. *Nemo certè magis fuit porcus aut canis, quàm Pharisæi & Sadducæi. Dominus tamen non destitit illis vitam æternam offerre, tum quoque quum super Hierusalem lugeret.* Sed quorsum istud? Nam ne excommunicatis quidem desinimus Verbum salutis offerre: nec aliò spectat excommunicatio, quam vt resipiscentis spiritus saluus sit in die Domini. Et sanè perdifficile est cognitu hoc discrimen, quum & canes & porci interdum in oues mutentur verbi prædicatione, & contrà multi qui speciem ouium habebant, degenerent in canes & porcos, & ipsos ἀνπδιατυπώσεις iubeat Paulus leniter erudire, 2. Tim. 2. 25. Ipsa igitur doctrinæ repudiatio pertinax, vel hypocrisis satis supérque detecta, prodit aliqua porci vel canis indicia: sic tamen incerta, vt non immeritò compararit Dominus regnū cœlorum sagenæ quiduis arripienti. At de sacramentis aliud censendum est, cuius discriminis est manifesta ratio. Verbum enim Domini est velut bonum semen, quod in incertum satoribus euentum seritur, donec ex effectis demum cum perseuerantia coniunctis appareat. Sacramenta verò, ac præsertim olim quidem sacrificia, nunc verò Cœna Domini, præsupponit disertam fidei professionem, ideóque non baptizatur à Philippo Eunuchus nisi edita veræ fidei confessione: neque adulti priùs ad Baptismum admitti debent, quàm Catechumeni fuerint. Prædo baptismi verò peculiaris est ratio, de quo nunc non est differendi locus. Sit ergo quispiam Catechumenus, qui Baptismum petat, fidei confessionem verbis edere paratus, sed qui de mutanda scelerata vita simul, vt baptismi ἐπερώτημα testatur, commonefactus, velut de scorto (exempli gratia) abiiciendo, de alieno restituendo, peccatum nolit agnoscere, & meliorem vitam polliceri: an D. Erastus communicandum illi dixerit παλιγγενεσίας sacramentum, impudenter id petenti, ac non potiùs eum cum ignominia repellendum? Non poterit tamen, fateor, dici excommunicatus qui nunquam in cœtu fuerit admissus. Sed hunc eundem ponamus iam baptizatum, ob sceleratam vitam, & non abiectum scortum, ad seniores vocatum, & ab iisdem conuictum, resipiscentiam nullam polliceri, sed in suo cœno sese volutare, aut in ipsum etiam presbyterium procaciter inuehi, & tamen Cœnam Domini petere, an hunc porcum & canem, à mensa Domini, Resp. 1.

vbi

vbi sanctum illud in manus datur, vbi filius ipse Dei, quauis margarita infinitis modis pretiosior, participandus offertur, non arcendum dicemus, vt olim Simonem illum Petrus à manuum impositione, & Spiritus sancti donis prohibuit, cui tamen alterum itidem sanctum, alterámque margaritam, id
Resp.3. est verbum resipiscentiæ & salutis offert ? Sed quorsum istud Christi neminem absolutè vel singulariter ab Euangelij auditione arcentis exemplum, vt Ioannes quoque Baptista eos ipsos baptisauit quos vocat viperarum sobolem ? Nec enim hæc Ecclesiastica iudicia Ioannes vel Christus exercendi munere functi sunt in Ecclesia Israelitica. Quid autem sit aduersus conuictos & iudicatos canes & porcos agendum ab Ec-
2.Tim.3.5. clesia gubernatoribus ostendit Paulus, in Timothei personæ illorum cœtum compellans, &, post illorum canum ac porcorum graphicam descriptionem, vtens verbo παραιτεῖσθαι.

Obiect.2. D.Erasti. Secundo loco negat D.Erastus, *canum & porcorum nomine, intelligi posse, qui in dissolutiore vita tantùm peccent, eandem alioqui religionem nobiscum profitentes : sed manifestos Euangelij hostes & persecutores.* Neque nos verò impuræ vitæ quosuis, sed duntaxat qui sunt ἀμετανόητοι, neque Ecclesiam audiunt, excommuni-
Respons.1. candos censemus. Manifestos autem rabidos canes, impudenter in ipsa Ecclesia pastores & gregem allatrantes, & porcos cœtum Domini in quo censeri volunt, fœdantes, ac Domini vineam vastantes, fidei certè professio exterior non sub-
Tit.1.16. leuat, sed potiùs nocentiores reddit, quòd Christum ore quidem profitentur, factis autem negent. Ismael enim & Esau e-
Resp.2. rant circuncisi, & verum Deum cum Abrahamo foris agnoscebant : exhæredantur tamen, ille quidem quòd ancillæ filius quum esset, filium benedictionis allatraret : iste verò quòd porcus prophanus esset, simplicem ouiculam paratus dilaniare. Vterque sanè Ecclesiasticæ excommunicationis (cuius auctor est Deus, ministri verò sunt homines ad id designati, cuiusmodi erant Abrahamus & Isaacus in suis familiis) viuum suis illis temporibus exemplum, & venturis seculis eiusdem typus fuerunt, nisi fortè domum Abrahami & Isaaci negauerimus fuisse Ecclesiæ domicilium, & terram Canaan fœderis
Resp.3. tesseram, adeóque cœlestis hæreditatis typum. Imò verò annon manifestè videmus Christum, vt eorum qui in Ecclesia versantur, immunditiem argueret, ad legales impuritates alluisse, quum porcos & canes, impurissima sub Lege animalia,

metaphoricè

metaphoricè nominaret? Denique quum res ipsa,& quotidiana experientia doceant,longè facilius ex ipsis operibus quàm ex oris confessione discerni posse qui verbo quidem tenus oues,impuris autem moribus canes sunt & porci: mihi quidem nemo facilè persuaserit,non potiùs oportere solicitos esse pastores & gubernatores Ecclesiæ ad istos bene & verè ab ouibus discernendos,de vitæ examine, quàm de fidei & externa professione : nedum vt ista contentos illos esse oporteat. Sic enim discernere nos docet Propheta verè in tabernaculum Dei admittendos, & ciuitatis Dei ciues. Et ita Christus ipse vltimo die, oues ab hædis distinguet: nec aliter passim Prophetæ & Apostoli, veræ pietatis externum testimonium à secunda tabula petere consueuerunt. Resp.4. Psal.15.1. Matth. 25.35.

Quid plura ? hos quoque canes & porcos esse dicimus in sinu Ecclesiæ versantes,quibuscum monet verè fideles Apostolus,vt ne cibus quidem capiatur, nedum vt sacra Domini mẽsa ipsis pateat, vbi quidem tales fuerint legitimè declarati. Hos etiam ipsos esse dicimus,quos quum graphicè prorsus describisset Iudas, & iis tanquam maculis inquinari dixisset Agapas, (communia videlicet quæ tunc agitabantur conuiuia sacra,& quibus adiuncta erat Eucharistia, vt ex Paulo & Tertulliano liquet,) tandem,*alios*,inquit, (nempe qui se dociles præbent)*habito delectu commiseramini,alios verò terrore*, (iudicio videlicet seueriore,id est minis, aut etiam ligando & Satanæ tradendo)*seruate,ex flammis abreptos*(hic enim est finis excommunicationis, vt sensu peccati & pudore affectus qui aberrarat,in viam redeat : quia bona est,vt ex Augustino citauimus, & vindicandi iustitia)*odio habentes eam vestem quæ carnis* (id est rei tam impuræ,quàm isti sunt,alludit enim ad legalem impuritatem)*contacta sit maculata*.Erant autem Agaparum maculę, quoniam negligentia pastorum tanta iam tum erat, vt eos minimè extruderent,sicut oportuerat? sicut Corinthij scortatorem illum inter se versari,crudeli misericordia patiebantur, qua de re sic iampridem Chrysostomus, *Videamus*,ait,*quid alia etiam Domini præcepta contineant : Nolite*,inquit,*dare quod sanctum est canibus,neque proiicite vestras margaritas ante porcos. At nos laudis amore,& iactantiæ vitio corrupti,etiam huic præcepto contraria gerimus, atque hominibus neque intellectum purum , neque sanam fidem gerentibus*, INSVPER ETIAM PECCATORVM MACVLIS INNEXIS, *sine vlla* DISCRETIONE, *mysteriorum* Resp.5. Resp.6. Iud.12.& 21. Augustin. contra aduersl.legis.lib.1.c.27. Chrysost. de cõpunctione cordis lib.2.

sacra nudamus. Et mox idem de iis loquutus, qui priusquàm teneant ipsam Christi religionem, ad sancta Christianorum admittebantur, tandem alia etiam addit, ad dissolutionem vitæ pertinentia, & meritò. Vter enim est impurior, qui sanctis abutitur, quorum vim ignorat, an qui sciens & volens illa contaminat? *Neq; solùm in hoc,* inquit, *sed interdum & in eo præuaricamur huius* PRAECEPTI *vim, quum eos quos nouimus impuræ vitæ homines,* (neglecto videlicet Ecclesiæ iudicio, quo illos eiici fiue vt canes & porcos, siue vt Ethnicos & Publicanos declarari oportuit) *violentos, rapaces, impuros, & per omnia portis & canibus similes, diuini sacramenti* (mensæ Domini videlicet sic per Antonomasiam appellatæ) *participes effici patimur.*

Obiect. 3. D. Eraſti.

Excipit tertio loco D. Erastus, *non pollui bonos à malis.* An verò Chrysostomum & veteres omnes Ecclesias, ne vna quidem excepta, canes & porcos à sacris abigentes, vel hoc non vidisse, vel cum Donatistis, quos acerrimè reprehenderunt sensisse arbitrabimur? vel nos, quoniam idem facimus, pro Anabaptistis habendi? Antecedens igitur huius enthymematis credimus: Sed valere negamus hanc consequutionem, Non polluuntur boni etiamsi mali nonnulli eandem atq; boni Cœnam accipiant. Ergo mali non sunt à Cœna prohibendi. Est enim certè manifestus paralogismus, in quo pro causa statuitur quod causa non est. Nec enim malos à mensa Domini arcemus, quasi bonis illam polluant, quum ex Apostolo didicerimus, omnia esse munda mundis: sed quia sibi illam polluunt. Pastorum autem munus est huiusmodi pollutionem, quantũ in se est impedire, ne & ipsi rei sint sacrarij ab alio, sua ipsorum socordia, polluti: quia impuri sibi manducant & bibunt iudicium: pastorum autem munus est, aberrantes reuocare, quod etiam interdum fit seueritate, ipsáque pabuli ad tempus subductione: quia denique bonos mali malis exemplis contaminant, & suo fermento massam corrumpunt. Sic autem rectum fuisset argumentum. Mali non polluunt Cœnam bonis, Ergo bonis, etiamsi malis sint permixti, Cœna tamen pura est. Sed hanc mixturam impedire est seniorum munus, ob eas quas attigi rationes, quod etiam Apostoli sedulò monuerunt, ac re ipsa præstiterunt.

Resp. 1.

Resp. 2.

Arg. 6. pro excommunicatione. Act. 8.

Reiectionem Simonis Magi, ab impositione manuum, quamuis aliquatenus (nempe quatenus peculiari Sp. Sancti afflatu Apostolico facta est) extraordinariam, tamen meritò recensemus inter perspicua excommunicationis

communicationis exempla, quum illa quoque impositio manuum tunc fuerit expressum donorum Spiritus sancti sacramentum, & iam baptizatus fuisset Simon: nec sit vlla ratione probabile Petrum ad mensam Domini admissurum fuisse, quem sic arcebat à Spiritus sancti donis, vt nisi prorsus alius fieret, præsens exitium ipsi denuntiaret.

Sed & vera & horribilis fuit illa exclusio, qua tum ab Ephesina, tum à Romana Ecclesia pertinaciter resistentes Veritati Iudæos, Paulus separauit, Christi mandato obsequutus: & quidem rata iam tunc in cœlis habita, quum desertis eorum synagogis ad Gentes transiret. At non ob mores id factum, (dixerit quispiam) *siue ob vitam dissolutam, verùm quòd Christianismo pertinaciter reluctarentur.* Concedo ita id esse: verùm quum peiores etiam illis videantur ij qui quam veritatem profitentur, vsque adeò factis negant, vt palàm sit ipsos esse Ecclesiarum maculas, an eos sisti coram Ecclesia, id est, coram iis in nomine Domini congregatis, quibus hæc cura incumbit, ibíque conuinci & cõmonefieri nefas erit? Quòd si contumaces perrexerint Christum ipsum & eius Ecclesiam, vsque adeò ludibrio habere, vt velint etiam, id quod ipsa Dæmonia credunt profitendo, Christiani haberi: eóque prætextu pergant Christi gregem corrumpere: an tyrannicum fuerit eos conuictos & iudicatos à sacramentis, quæ manifestè iudificantur, & à corrumpendo grege prohibere? Num enim lupos ab ouilis quidem ingressu arcere licuerit, ouile autem ingressos nefas erit pro aliis quàm pro ouibus habere, si modò ouium vellere tecti appareant?

Arg.7 pro excommunicatione. Matth. 15.14. Act. 19.9. & 28 29. Obiect.1. Resp.1. Resp.2.

Accedo ad locum Pauli, in quo ab hypothesi ascendit Paulus ad thesin. Hypothesis est damnatio incestuosi, cum graui Corinthiorum reprehensione, quòd iampridem illum è suo cœtu non eiecissent. Decernit autem Apostolica authoritate, vt quod factum pridem oportuerat, tandem faciant, id est cõgregati in nomine Christi, à quo potestatem hanc acceperant, promulgandi videlicet decreti ab ipso Christo facti, istũ impurum Satanæ tradant, siue è medio sui tollant: minimè quidem vt in Satanæ regno pereat ille miser à domo Domini profligatus: sed vt ipse quidem suo malo edoctus, sceleratum illum affectum carnis penitus aboleat, & ita in die Domini seruetur Ecclesia verò Corinthiaca tantæ spurcitiæ contagione non inficiatur, sed potiùs (quod in Paschate legali constitutum erat) hoc veluti fermento expurgato, azymalia verè celebret, id est, purè & sanctè Deum colat, tum ad audiendum

Arg.8 pro excommunicatione. 1.Cor.5.

verbum, tum ad Domini mensam conueniens, vero Paschate nostro, Christo videlicet, sic perfruitura. Thesis autem est, non tantùm cum eiusmodi summè sceleratis sic agendum, sed cum iis omnibus, qui re nihil minùs sunt quàm quod dicuntur, Christiani videlicet, ac proinde in Christo sanctificati: à quorum quoque priuata consuetudine, adstinere veros Christianos oporteat.

Hanc eius capitis sententiam germanam & genuinam esse arbitramur & affirmamus, nec vnquam aliter in Ecclesia fuisse hunc locum explicatum, aut etiam explicandum esse. Quia tamen multa D. Erastus opponit, ea quoque sigillatim diluemus, priusquàm ad ipsius interpretationem accedamus.

Obiect. 1. D. Erasti. *Constat* (inquit D. Erastus) *Apostolum, contra mandatum & sine mandato Christi nihil fecisse. Iam verò ostensum est Christum neminẽ, atque adeò ne Iudam quidem excluisse.*

Resp. 1. Nos vtrumque concedimus, sed quod inde vult effici, pernegamus. Quid enim obstat, quominus mandarit faciendum Christus, quod ipse pro temporum & muneris sui ratione non fecerit? Nec enim in Synedrio sessurus venerat, sed ipsum Synedrium iudicaturus. De Iuda verò, imò etiam de hac re tota, diximus abundè suo loco.

Obiect. 2. D. Erasti. *Non scribit Apostolus* (inquit D. Erastus) *Cur non interdixistis ei Cœnam, sed scribit, Cur non luxistis? id est, exponitore Augustino, cur non ascendit lugentium dolor ad Deum, vt ipse tolleret hoc opus è medio vestri sicut ipse sciret.*

Resp. 1. Audio quid dicat eo loco Augustinus, sed quod eodem illo loco, 1. Cor. 5. c. 12. v 13. repetit Apostolus his verbis, *tollite improbum istum* ex vobis ipsis, apertissimè monstrat Tollendi verbum non ad Deum, cuius nulla fit mentio, sed ad Corinthios ipsos referri, à quibus ipsum tolli ex Ecclesiæ cœtu oportuit.

Resp. 2. Præterea quis tales vnquam preces mandatas Ecclesiæ fuisse, aduersus inimicissimos etiam suos existimauerit?

Resp. 3. Immò, si licuit vnquam eiusmodi preces concipere, at certè tum demum iis fuit locus, postquam alia omnia, & quidem in primis excommunicationem, Ecclesia esset frustra experta. Fuisse verò extremum remedium ordinarium excõmunicationis in Ecclesia vsurpatum, ad tollendos malos, non ex vita, sed ex Ecclesiæ cœtu, constat eo ipso loco quem D.

Resp. 4. Erastus citat, Augustinum ipsum inculcare. Sed quorsum plura? planum enim est Augustinum non dicere lugendum fuisse Corinthiis, vt iste tolleretur, sicut D. Erastus existimat, sed vt

istud

istud opus tolleretur, id est, petendum à Domino fuisse in primis, vt hanc Ecclesiæ maculam, aliquo modo abstergeret: quod remedium in publicis ac priuatis etiam grauioribus offendiculis vel præcipuum esse debet: cuiusmodi luctus quanuis simulati habemus exemplum in historia Naboth. Itaque nihil contra nos facit, quod ex Augustino profertur, cui etiam magnam iniuriam fecerit quisquis, ad tollendam excommunicationem, voluerit ipsius authoritate abuti, vt qui eam ex professo tueatur. 1.Reg 21.

Dicit etiam D.Erastus tertio loco, non audere se affirmare, Corinthium illum fuisse Satanæ traditum, *quoniam scribit in altera epistola, ἱκανὸν τῷ τοιούτῳ ἡ ὀπτιμία αὕτη ἡ ὑπὸ τῶν πλείονων, Sufficit ei tiusmodi homini increpatio ista à pluribus facta.* Et colligit multa exempla, vt probet τὸ ὀπτιμᾶν nihil aliud esse quàm increpare, & interminari. Atqui ὀπτιμᾶν scripsit Apostolus, non ἐπιμῆναι, quàm rectè possis, & ex Ecclesiæ more, Censuram quoque interpretari. Sed ponamus increpationem duntaxat ita significari, neque ad ipsius excommunicationis publicationem progressos Corinthios, sed illam, donec responsum à Paulo, de grauissima incestuosi pœnitentia admonito, acciperent, suspendisse, veritos ne à luctu incestuosus ille absorberetur, quod videtur Paulus declarare, verbo χαρίζεσθε, 2.Cor.2.10. Hoc tamen ad rem non facit. Non enim iubet Paulus vt iste obiurgetur, sed vt Satanæ tradatur, siue paruerint Corinthij, siue, ob eam quam dixi causam, eò vsque non sint progressi, satis intelligentes Paulum nihil aliud quàm incestuosi salutem quæsiuisse? Obiect.3.D. Erasti. 2.Cor.2.6. Resp.1. Resp.2.

Diligens verborum Apostoli inspectio (inquit ille) *docere videtur illum non iussisse vt fœdus ille homo, tanquam in isto scelere perseuerans, puniretur, sed vt qui desisset ita peccare, admoneretur.* Quia scriptum est, ὁ τὸ ἔργον τοῦτο ποιήσας, non autem ὁ ποιῶν, & κατεργασάμενον, non autem κατεργαζόμενον. Atqui hoc non refertur ad continuationem scortationis, sed ad ipsum factum, quòd ille videlicet nouercam in suum contubernium recepisset, vt idem Paulus perspicuè docet, quum initio capitis non dixerit, γυνῆκα ἐχικένα, sed γυνῆκα ἔχειν. Præterea si res ita se haberet, cuiusmodi esset Apostoli spiritus? eum velle tolli è medio Ecclesiæ, (id est vt D.Erastus mox exponit,) necandum Satanæ dedi, qui peccare desisset, quum de resipiscentia potiùs fuerit ipsi gratulandum? Denique ego quidem videre non possum, Obiect.4.D. Erasti. Resp.1. Resp.2. Resp.3.

quomodo à se ipso hic non dissentiat D.Erastus,quum Tolli è medio & tradi Satanæ contendit nihil aliud quàm admonitionem & interminationem hoc loco declarare.

Obiect.5.D. Erasti. *At Corinthij*(inquit ille)*magna tristitia affecti sunt ob hanc epistolam. Paulus quoque multis se excusat, quòd hunc Satanæ tradi statuisset, imò etiam se pœnituisse dicit. Atqui si hoc nihil aliud fuisset quàm à Cœna tantisper arcêre.dum pœnitentiæ signa edidisset, quomodo qui hoc in Ecclesia fieri volebat, & in hunc finem seniores constituisset,id à se factum tam sollicitè excusaret? cur ipsum Christi mandato paruisse pœniteret? & cur non potiùs gauisi essent Corinthij sibi ad huius officij functionem aditum esse ab Apostolo patefactum? Itaque diuersum & maius aliquid istud fuisse oportet,quàm à cæremoniis arceri.*

Resp.1. Atqui paulò ante contendebat D.Erastus iussisse Apostolum vt duntaxat admoneretur. Vt autem de re ipsa dicamus aliquid, singula penè in hoc argumento carpere cogimur. Fuerant Corinthij seuerè, & meritò quidem, ab Apostolo nimiæ

Resp.2. indulgentiæ & neglecti officij admoniti. Dolebat etiam eis vnius membri à corpore, quantumuis iusta amputatio. Erant quoque de miseri illius salute solliciti, sicut charitas iubebat. Hæ causæ fuerunt tantæ illorum tristitiæ, sed quæ secundùm Deum esset: quas ne attingit quidem, D.Erastus, in id vnum videlicet intentus,vt quoquo modo hunc locum nobis extor-

Resp.3. queat.Paulum verò nusquam inuenio,sese, quasi in ea re peccasset,excusantem,nusquam id (inquam)inuenio: sed hoc demum inuenio,quum videret Corinthios tantam tristitiam ex

2.Cor.7.7.& deinceps. illa obiurgatione concepisse,& incestuosum illum tam acri sui flagitij sensu morderi,vt lenientibus medicamentis iam egere viderentur, mitigasse,quantũ potuit ac debuit, superiorum literarum asperitatem. Nec enim se pœnituisse dicit Paulus, vt qui sibi sunt rei perperam factæ concij: sed id egit quod veri patres solent, siquando coacti sunt cum liberis dulcissimis seueriùs agere: scientes quidem se nihil præter officium fecisse, sed nihilominus tamen apud se mœsti euentum rei expectantes,& quasi verentes nequo modo modum excesserint. In

Resp.4. summa verò, excepta vltimi illius diei sententia, à qua nullus erit dilationi nec prouocationi locus,quid horribilius Dei timentibus proponi possit, quàm si ligatus in cœlis & in terra in

Aug. contra aduer.legis lib.1.cap.17. nomine Christi pronuntietur,videre non possumus: & verum esse arbitramur,quod iam antea ex Augustino citauimus,grauius esse illud,si Ecclesiam non audierit, sit tibi vt Ethnicus & Publicanus,

Publicanus, quàm si gladio feriretur, flammis absumeretur, feris subrigeretur. Sed hæc nunquam nisi nimiùm serò sentiunt, quos Deus spiritu vertiginis & ἀναλγησίας inebriauit, quales sunt hodie nimiùm multi, si vnquam alias.

Profert præterea D. Erastus Athanasij expositionem, qui existimauerit, tradere Satanæ, hîc, & aliis apud Apostolum locis, significare simile quiddam ei quod Iobo factum est, quum Satanæ ius in illum aliquod, certis tamen finibus circunscriptum, tribueretur. Adiicit Augustinum ab ea sententia non abhorruisse, nec Chrysostomum. Atqui Athanasius apertè dicit exceptam fuisse animam istius, id est vitam, sicut in tentatione Iobi factum est. Augustinus titubanter loquitur, ita tamen vt illum nemo non videat in eorum sententiam ferri, qui ad carnis mortificationem referunt, quod de interitu, siue excidio, & internecione carnis dicitur. Chrysostomus verò apertè ad cruciatum à Satana corpori inflictum refert. At D. Erastus, sicuti mox videbimus, ipsam corporis necem manifestè inculcat, ac si iussus esset carnifici non modò excruciandus, sed etiam interficiendus tradi. Deinde nihil facere illam patrum sententiam ad tollendam excommunicationem, ex eo constat quòd alia illa verba Apostoli de tollendo malo, ad hanc ipsam quam tuemur disciplinam retulerunt. Nec enim inter se repugnant, eiici ex Ecclesia, & ab eo propterea torqueri, qui extra Ecclesiam regnat, sicuti Saulem à domi no abiectum inuasit spiritus malus, quod etiam veteres de quodam Stiliconis scriba referunt, quem Ambrosius excommunicarat. Certè sic apertè idem Chrysostomus vtrumque copulat, id est, & Satanæ flagellum, & eiectionem extra Ecclesiam, his verbis. *Eiiciebant*, inquit, *à cõmuni fideliũ cœtu, abscindebatur à grege, fiebat nudus, at q; ita destitutus lupis patebat, &c.* Demus ergo vel à Satana ipso fuisse corporaliter obsessos ipsi traditos, vel aliquo alio cruciatu, quasi vinculis à Satana fuisse constrictos, vt apud Lucam de muliere quadam ipse Dominus loquitur. Id tamen eò fiebat quòd extra Ecclesiam essent eiecti: & alioqui nullos ἐπιχειμένους ad sacram mensam fuisse admissos constat, nisi impetrata precibus pro Ecclesiam liberatione, qui tamen non erant Satanæ ab Ecclesia traditi. Multò minùs ergo admitti consueuerunt, quos Ecclesia Satanæ tradiderat. Cæterum omnibus attentè singula considerantibus, iudicandum relinquimus, annon multò sit conuenientius, hoc referre ad Satanæ laqueum, quo teneri captiuos omnes constat, qui

Obiect. 6. D. Erasti.

Respons. 1.

Resp. 2.

Chrys. in 1. Tim. 1. 20 & in Ioh. homil. 56.

Resp. 3.

Luc. 13. 11. & 16.

Resp. 4.

vel à filio nondum fuerint liberati, vel semel liberati, rursum propter sua peccata in eiusdem tyranni manus traduntur, extra Ecclesiam, in qua Christus regnat, electi: non tamen vt in illius carcere pereant, sed vt suo ipsorum damno eruditi, per resipiscentiæ fores, iterum in veræ libertatis regnũ introeant.

Obiect.5.D. Erasti. Resp.1. *Argumentatur postea,* D. Erastus, *à significatione nominis* ὀλεθρος, *quo dicit perniciem, stragem, occisionem, mortem significari.* Ego exitium malim interpretari, quo videlicet funditus aliquid deleatur & pereat. Nam prima eius positio est ὀλέω, quod est perdere, & penitus delere. Sed quorsum hæc? Nec enim simpliciter dicit Apostolus εἰς ὄλεθρον, sed addit τῆς σαρκὸς, vt sciamus quid perire & deleri velit, isto tam acri traditionis illius medicamento. Medicina enim fuit, & ipsi Ecclesiæ toti à qua fuit istas putredo resecta, & ipsi Corinthio, nisi huius cauterij vi amputata fuisset concupiscentia, qua ipsius anima tota iam deflagrabat, perituro. Et monet quidem rectè D. Erastus non hærendum in hoc solo vocabulo, sed totum illud εἰς ὄλεθρον τῆς σαρκὸς esse coniunctim considerandum: sed in eo ipsum falli arbitramur, quòd, eo omisso in quo controuersia posita est, id est quo non ambigitur in dubium reuocat. Assentimur ergo de nominis ὄλεθρος significatione, ex quo etiam fortasse nouit D. Erastus à quodam ex nostris refutatam Athanasij & Chrysostomi expositionem, quam Paulo ante protuli. Sed tota in nomine τῆς σαρκὸς controuersia consistit. Nam ipse quidem affirmat hoc vocabulo significari corpus, quod cædi esset destinatum ab Apostolo. At nos sentimus ita declarari carnis affectus, qui penitus sint mortificandi, & quibus perimendis, destinata sit etiam eiectio ex Ecclesia, & traditio in Satanę manus, quoquo modo accipiatur. Sed eius rationes amplius etiam expendamus.

Resp.2.

Obiect.8.D. Erasti. Resp.1. Ὄλεθρον (inquit) *nusquam alibi inuenio pro extincti ne affectuum carnis: sed pro occisione & cæteris eiusmodi. In summa illud significat quod ante diximus, exitium videlicet & interritum vltimum.* An verò mutaretur hæc significatio, si hîc quoque vt alibi Apostolus pro τῆς σαρκὸς dixisset, τῶν πραξέων τὸ σώματος, vel τὰ παθημάτων τῶν ἁμαρτιῶν? Quum dico perdere hominem, an aliud isto perdendi verbo dico, quàm si dicam perdere ciuitatem?

Obiect.9.D. Erasti. Resp.1. Resp.2. *At enim,* inquit, *alibi non coniunxit Paulus* ὄλεθρον cum τῆς σαρκὸς. Quid tum? An quicquid dixit Paulus, bis iisdem verbis dixit? Imò si velim vrgere testimonia quæ D. Erastus hic citat,

quid

quid aliud consequetur quàm ὄλεθρον secum trahere ipsius etiam spiritus, totius videlicet hominis perditionem? quod tamen locum habere in eo non potest cuius saluus fiat spiritus. Deinde illa ipsa testimonia quæ citat, manifestè contra ipsum faciunt, nisi fortè τὸ νεκρωθῆναι, τῷ νέκρωσιν, τὸ θανατοῦσθαι minus aliquid quàm τὸν ὄλεθρον significare dicamus, quod sanè non arbitror: nisi quis hoc ex illis consequi dicat. Resp. 3.

Negat etiam D. Erastus, *nomen τῶ νεκροῦ inueniri apud Paulum pro eo in quo cupiditates carnis sint abolitæ.* Immò Coloss. 3. vers. 3. paulo ante illum ipsum locum quem citat, nempe νεκρώσατε τὰ μέλη ὑμῶν, legimus ἀπεθάνετε γάρ, quod prorsus ἰσοδυναμεῖ. Sed & alibi paulò hac ipsa de re, nempe de carnis abolitione, & spiritus vita, ex professo differens, τὸ μὲν σῶμα νεκρὸν δι' ἁμαρτίαν (inquit) τὸ δὲ πνεῦμα ζωὴ διὰ δικαιοσύνην. Et illud quoties dicitur, Eos qui in Christo viuunt, mortuos esse peccato, id est, in iis extinctum esse peccatum? quod tamen ita intelligendum esse fatemur, vt adhuc vigeat certamẽ, sed cuius certa sit victoria. Obiect. 10. D. Erasti. Resp. 1.

Vrget D. Erastus præterea verbum παραδιδόναι, *quod*, inquit, *non significat admonere aliquem, vt affectus carnis reprimat, sed personam alij personæ tradere ad certam rem.* Nos autem de ipso tradendi verbo minimè contendimus, sed quorsum tradatur Satanæ quispiam quærimus, quod non potest de eo dici qui sit Ecclesiæ, id est Christi membrum: vnde fit vt Tradi Satanæ, & Eiici ex Ecclesia mutuò se consequantur, ac penè vnũ & idem sint. Nec etiam dicimus quempiam Satanæ tradi omnis malitiæ magistro, vt ex eo quippiam boni discat, sed (sicut de Phileto & Hymenæo alibi loquitur Paulus) vt, exempli gratia, blasphemiæ damnatus, discat non blasphemare, id est, vexatio, vt aiunt, det intellectum, de quo mox iterum aliquid dicemus. Obiect. 11. D. Erasti. Resp. 1.

Quomodo verò, (inquit ille) *potest alicui verisimile videri Corinthios tantum dolorem fuisse accepturos si nihil aliud iussi essent facere, quàm à ceremoniis tantisper hunc arcere, dum pœnitentiæ argumenta ostendisset? nihil sanè ex eo vel ad Ecclesiam, vel ad impurum illum mali poterat peruenire, propter quod tanta tristitia afficerentur.* At certè nimis frigidum est ceremoniarũ vocabulum. Nec enim sacramenta sunt quiuis ritus, sed σφραγῖδες nostræ cum Christo arctissimæ κοινωνίας, quæ est salutis nostræ basis. Præsupponit præterea D. Erastus quod antea refutauimus, istud videlicet Ecclesiæ iudicium non aliud consequi, quàm exclusionem ab externa sacramentorum in terris exclusione, quum testetur Obiect. 12. D. Erasti. Resp. 1. Resp. 2.

tur Christus ligatum iri in cœlis, quod ita sit ligatum in terris: vt, quemadmodum antea ex Augustino diximus, excommunicatio legitima qua quispiam prophanus, & à Christo alienus tum in terris, tum in cœlis, accensetur, quauis capitali corporis pœna sit infinitè grauior: eo vno excepto quòd amissa corporis vita in hoc mundo non restituitur, à spiritualis verò & æternæ vitæ iure non sic excluditur excommunicatus, quin per resipiscentiam possit in integrum restitui. Deniq; lugere Co-
Resp. 3. Matth. 23. 37. 2. Cor. 11. 29. rinthios oportuit non tantùm propter vnius membri amputationem, cuius Christianæ συμπαθείας, quàm grauis sit sensus declarat tristissima illa super Hierosolymis ipsius Christi lamentatio, & istud Pauli, Quis vestrûm offenditur quin ego vrar: sed vel maximè propter hanc inustam toti Corinthiacæ
1. Reg. 21. 12. Ecclesiæ maculam: quò spectat etiam ieiunium illud in historia Nabothi commemoratum.

Obiectio 13. D. Erasti. Resp. 1. *At enim Apostolus* (inquit ille) *nos alibi iubet sancto Spiritu occidere actiones carnis: non vult Satanam eas in nobis interficere, sed pœnam corporalem, seu mortem temporariam intellexit.* Neq; verò quisquam nostrum Spiritus sancti officium ad Satanam transtulit. Respondeat autem pro nobis idem Paulus loquens de Hymenæo & Alexandro: *quos*, inquit, *tradidi Satanæ, vt discerent non blasphemare.* Ergo, traduntur etiam aliqui, omnis nequitiæ & impuritatis magistro ad disciplinam. Sed quomodo sit istud accipiendum, non pudeat nos ex eodem Chrysostomo discere, cuius sententiam, paulò ante nobis D. Erastus opposuit. *Quomodo*, inquit, *Satanas ipsos docet non blasphemare? Nam si alios docet, multò magis seipsum docere debuerat. Si verò hûc vsque seipsum docere non potest, ne alios quidem. Non ait, vt doceat ipsos non blasphemare, sed vt discant non blasphemare. Non ille hoc agit, sed hoc euentus prodit: quemadmodum nempe & alio loco iubet de eo qui fuerat fornicatus, tradere huiusmodi hominem Satanæ ad interitum carnis, non vt Spiritum saluet, sed vt Spiritus saluus sit. Quomodo igitur hoc contingit? nempe quemadmodum carnifices innumeris sceleribus pleni castigant alios, ita & hic de nequissimo dæmone dicitur.* Hæc ille. Cæterùm etiamsi concedamus istam traditionem corporales aliquos cruciatus includere, minimè tamen, vt antea diximus, conuellunt nostram de excommunicatione sententiam, quo-
Resp. 2. Resp. 3. niam illam consequentur, vt in energumenis. Sed illa quæso, pœna corporalis, seu mors temporaria, cuiusmodi tandem est? Si tradi Satanæ idem esse dixerimus, atque per Satanam corpora-

corporaliter cruciari, vt hoc modo discat aliquis sapere: &, vi Spiritus sancti resipiscendo, carnem, hostem illum interiorem, perimere, istud certè sic non tollit excommunicationem, & facit cum Chrysostomo, cuius hæc etiam verba sunt. *Et cuius rei gratia, non illos ipse punisti, quemadmodum Barlesum, & sicuti Petrus Ananiam: sed eos Satanæ tradidisti? non vt moriantur*, inquit, *sed vt discant.* Hæc ille. Sin verò malimus cum D. Erasto, voluisse Paulum, vt sic iste Corinthius à Satana interficeretur, sicut Ananias ad Petri verba, exanimis cecidit, viderit D. Erastus, quisnam resipiscentiæ locus ipsi fuerit relictus: & quam satis idoneam etiam excusationem, Corinthij afferre potuerint, quòd Paulo non essent obsecuti, hoc modo præsertim experiri volenti, ecquid apud eos auctoritas Apostolica valeret? Aliud enim est paratos fuisse obedire, aliud re ipsa obedivisse, & fecisse quod pridem factum oportuisse Apostolus tam acriter ipsos monuerat.

At enim (inquit ille) *iussisset eum Apostolus iterum admitti, si prius mandasset excludi. Dicit autem duntaxat sufficere ἐπιτιμίαν ipsi factam, neque exclusionis aut restitutionis meminit.* Nos autem rursum dicimus nihil ad rem propriè pertinere, fecerintne Corinthij quicquid mandarat Paulus, annon: sed de eo ipso quæri quod Paulus mandarat. Et si verò disertè non dicit Apostolus iterum recipiendum, tamen satis hoc exprimit, quum sufficere dicit, quod cum ipso apud plures, id est apud presbyterium, actum erat: & quum postea subiicit, *vt contra potiùs ei condonetis, eúmque consolemini, ne quo modo à tristitia absorbeatur.* Obiectio 14. D. Erasti. Resp. 1. Resp. 2.

Excipit præterea D. Erastus, *Si Satanæ tradere, est extra Ecclesiam eiicere, extra quam salus nulla est, non dixisset se hoc facere, vt salvus maneret Spiritus in die iudicij.* Primùm respondeo à D. Erasto reticeri, quod adiicere semper consueuimus, vt & Apostolus facit, nempe Satanæ tradi, idem esse, atque ex Ecclesia, extra quam regnat Satan, eiectum declarari quempiam, non tanquam apud Satanam permansurum, & cum eo periturum, sed contrà vt miserrimi sui status sensu permotus, resipiscat: & ita, carne abolita quæ antea ipsi dominabatur, spiritus superior euadat, vt ita saluus fiat: quod demum in die Domini plenè in illo & electis omnibus apparebit. Ideò excommunicatos supra comparauimus, arescentibus quidem palmitibus, & nisi caueant, tandem penitùs amputandis, & in ignem coniiciendis: sed adhuc tamen ipsi viti adhærescentibus, & (sicut charitas Obiectio 15. D. Erasti. Resp. 1.

ritas bene sperare nos iubet,) rursum aliquando vitis succo, suo tempore, viuificandis, quod totum fuit in hoc argumento
Resp.2. prætermissum. Deinde hoc etiam addo, non scripsisse Apostolum, *vt saluus maneat*, sed, *vt saluus fiat*, quòd alioqui incestuosus à carne superatus, iam quasi periisse, aut nisi resipiscceret, certò periturus, meritò videretur.

Obiect.16. D.Erasti. *Immò* (inquit D. Erastus) *si Satanæ tradere acceperis pro arcere à Cœna, ad quam admitti vnusquisque oporteat ad salutem, non rectè senseris: quum Cœna non sit ad salutem absolutè necessaria, sed seruari absque ea possit, qui interesse quidem cupit, at non potest: siue non admittitur.*

Resp.1. Nos verò fatemur, neque Baptismi, neque Cœnæ simplicem priuationem, sed contemptum demum esse lethalem. Verùm id quod subiicitur in hoc argumento de eo qui velit quidem ad Cœnam accedere, sed prohibeatur, contingere non potest, vbi legitimus est excommunicationis vsus. Quisquis enim cupit se Ecclesiæ restitui, non modò non prohibetur, imò etiam cum summo Ecclesiæ & Angelorum gaudio restituitur: quum nihil possit optatius accidere Ecclesiæ, quàm aresc entis palmitis noua viuificatio. Tantùm requirit Ecclesia vt ille verum & syncerum hoc suum esse desiderium ritè testetur, ne fortè seipsum & alios fallens, iudicium iudicio in suum caput cumulet, noua sacrorum pollutione. Abstéti verò, quum disertè moneantur ipsos nihilominus in Ecclesia censeri, non est quod à salute se arceri arbitrentur: & tamen eorum quoque desiderij summa ratio habetur, ne seueritas, quæ pro salubri medicina
Resp.2. adhibetur, lethale ipsis venenum euadat. Denique sciat D. Erastus, excommunicatos non resipiscentes non ideò in damnatione esse, quòd à Cœnæ participatione arceantur: sed cõtrà idcirco illos à mensa Domini excludi, quòd in damnatione sint, propter scelera sua, donec resipiscant.

Obiectio 17. D.Erasti. *At quàm multi sunt* (inquit rursum ille) *qui ad finem demum vitæ baptizati sunt apud veteres? An illi verò priusquàm baptizarentur, erant Satanæ traditi? Quòd si non erant traditi, quia licet non essent à Baptismo prohibiti, alias ob causas abstinebant, meliores certè sunt iudicandi, qui sua sponte abstinent à Cœna, quàm qui ab illa abstinere coguntur.*

Resp.1. Ego verò quorsum hoc argumentum torqueatur non video: & eos qui tandiu baptismum distulerunt, siquidem nihilominus Christiani videri volebant, pessimè feciſſe existimo, & veterum Episcoporum ea in re crassam negligentiam non possum non vehementer improbare, qui eiudire ignaros,

naros, superstitiosos redarguere, contemptores seuerè iudicare debuerunt. Quin grauiter etiam peccent non ambigimus, qui expressum Domini præceptum, de hoc accipiendo pane, & hoc bibendo poculo, negligunt, & seipsos quodammodo excommunicant: in quos etiam fuisse veteres canonas seueriſſimos constat. Tradi verò Satanæ aliud est, quàm vel Baptismum differre, vel à Cœna Domini vltro abstinere.

Excipit autem ille præterea, *contentiosos schismatis auctores, in ipsa Cœnæ celebratione factos ebrios, inflatos illos gnosticos, idolothytis vescentes, atque alios impurè viuentes ad Cœnam Domini ab Apostolo admitti: & illos tantùm hortatum esse, vt studerent dignè ad Domini Cœnam accedere, admonitos, vt se probarent, nulla Ecclesiastici iudicij mentione facta.* Neque verò nos statim ad extrema remedia prosiliendum, sed potiùs omnia priùs experienda, docemus. Illos autem qui in Idolæo deinceps vescerentur, dico differtè censuisse Apostolum, à mensa Domini arcendos, quum diceret, Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum. Quid item statuendum sit in Ecclesia de rapacibus, ebriosis, scortatoribus, & huiusmodi publicè contaminatæ vitæ hominibus, qui fratrum alioqui nomen affectant, neque resipiscunt admoniti, docuit Apostolus, non hoc quidem loco (quum non omnia simul dici possint aut debeant) sed eâdem epistola, & eo ipso capite in quo egit de tradendo Satanæ incestuoso, iubens expurgari vetus fermentum, & vetans vel cibum cum ipsis, (præeunte videlicet legitimo Ecclesiæ iudicio damnatis) sumere. Id enim priuatorum arbitrio relinquere, vt alibi diximus, & periculosum nimis, & toti Ecclesiæ valde dãnosum fuisset. Iudas autem eosdem expressis verbis iubet terrore seruari. Incestuosos denique iubens Paulus tradi Satanę, cur aliis non magis ad regnum Dei pertinentibus parceret?

Obiect. 18. D. Erasti.

Resp. 1.

Resp. 2.

Resp. 3.

1. Cor. 5. 9. & deinceps.

Iudæ. 23.

Resp. 4.

Videtur autem (inquit ille) *mos iste arcendi à sacramentis, tunc irrepsisse, quum sacramentis nimium tribuere, & salutem adscribere homines cœperunt: aut certè ex eo quòd ita negarentur sacramenta, cœperunt homines cogitare ea conferre salutem. Hunc igitur fructum vnà cum cæteris, aut peperit nobis, aut aluit, ac fouit ista Sacramentorum interdictio.* Hæc quidem ille, sed vbi vel minima istius dicti probatio? Abusos fuisse malos disciplina Ecclesiastica, quid mirum est, quum idem etiam ipsi doctrinæ vsuenerit, cuius nullam penè partem in portentosas superstitiones non transformarunt? Sic stertentibus agricolis, malus ille seuit zizania,

Obiect. 19. D. Erasti.

Resp. 1.

quę

quę segetem ad tempus suffocarunt. Quum doctrinam tamen constet tollendam non esse, sed repurgandam: cur non idem de tota disciplina faciendum censeamus. Idem enim vtriusque auctor est, idem vindex, & vt necessaria est ad salutem doctrina, ita ad doctrinæ conseruationem, suo modo necessariam esse disciplinam, ex ipsa saltem experientia mirum est inueniri quenquam posse qui non animaduertat. Vanissimum autem istud esse liquet ex eo quòd (vt testimonia sacrarum literarum omittam) nunquam proferri poterit vllum seculum, vel vlla Ecclesia vbi receptum non fuerit ius excommunicationis, vt totam ad nostrum vsque tempus Ecclesiasticam historiam euoluas.

Resp. 1.

Obiect 20. D. Erastu. *Denique* (inquit ille) *Tollere è medio, & Satanæ tradere, idem sunt apud Apostolum. At Eiicere ex Ecclesia, & Tollere è medio, non idem sunt. Ergo etiam idem non sunt Satanæ tradere, & ex Ecclesia eiicere. Alludit ergo Apostolus ad Deut 13. in quo iubet Moses tolli è medio, id est interfici pseudoprophetam qui defectionem à Domino doceat. Sed quoniam tunc Ecclesiæ fidelibus magistratibus destitutæ, illo modo non licebat, sceleribus pollutos è medio tollere: ideircò precibus à Domino tales vindictas impetrabant. Erat autem Apostolis tradita hæc potestas à Deo, vtpotè qui sicut sanandi, ita etiam percutiendi miraculis claruerint, non autem vlli Seniorum collegio.* Respondeo ipsum D. Erastum hoc loco suppeditare nobis quod respondeamus. Nam Satanæ tradere non idem esse quod interficere, probauimus, ex iis ipsis scriptoribus qui ad corporis cruciatum à Satana inflictum id referunt, & quorum auctoritate malè aduersus nos vsus est. Ergo non idem fuerunt tollere è medio, & tradere Satanæ.

Resp. 1.

Resp. 2. Sed ad rem propiùs accedamus. Non scripsit simpliciter Apostolus, vt tolleretur è medio, (quod significat mortis supplicium, & in genere aliquid ita excindi, vt amplius non sit, sicut idem Apostolus loquitur Colos 2 14. & 2. Thes. 2. 7.) sed addidit pronomen ὑμῶν, vestri, quod non debuit D. Erastus reticere. Sed & in eodem extremo capite, planiùs etiam loquitur Apostolus quum inquit, tollite illum sceleratũ ἐξ ὑμῶν αὐτῶν, ex vobis ipsis, id est, vt barbarè dicitur, de inter vos. Nemo autem nescit aliud esse tolli è medio, (quod quoniam generaliter dicitur, ideò in genere quoq; significat ex hominũ medio tolli, id est interfici) quã tolli è medio Ecclesiæ Corinthiacæ, quod fit eiectione è cœtu, siue spirituali, vt ita loquar, exilio: quãquã

etiam

etiam apud idoneos Græcæ linguę scriptores ἐν μέσῳ simpliciter positum, mutationē loci interdum, nec amplius quicquā significet. Quod autem dicit D. Erastus, Apostolum alludere ad Deut. 13. verè dici videtur. Imo non ad illum solum locū alludit, quum innumerabilibus penè locis occurrat illud, *Ejscindetis è medio populi sui, &c. Tolletis è medio vestri*, & aliæ multæ eiusmodi formulæ, in quibus tamen Moses non vno verbo vtitur. Verùm si vbicunque ista occurrunt, capitalis supplicij pœnam à magistratu ciuili inflictam intelligamus, causa certè iam nulla fuerit, cur accusetur Draco, quasi sanguine leges suas scripserit, quum futurum sit, vt Moses multò magis sanguinarius inueniatur. Itaque monent sani interpretes, ista interdum esse referenda ad ipsius Dei iudicium, qui sese istiusmodi scelera, internecione & excidio ipsarum familiarum, vlturum esse interminetur, sicut Erum & Onamum occidit: quò spectat etiam illud Dauidis, Viri sanguinum & deceptores non dimidiabunt dies suos: interdum verò ad Magistratus ciuiles qui gladium Dei non temerè gestant. Itaque in illo quidem Deuteronom. loco, Deus formulam illam ver. 5. *auferes malum è medio tui*, explicat vers. 9. verbis istis, *Occidendo occides eum*. Contrà verò Exod. 12. quum scriptum esset vers. 15. *excidetur anima ipsa ex Israele*, exponitur vers. 19 *exterminabitur anima illa ex cœtu Israelis*, id est non censebitur in Israelitarum populo. Nec aliter certè accipi potest illa legis Circumcisionis sanctio, Gen. 17. 14. qua dicitur exscindi ex populis suis qui non fuerit circuncisus, vt qui fœderis pactum violarit: quæ perperam de capitali pœna à D. Erasto exponuntur. Ista igitur excisio de qua nunc agemus, illud ipsum fuit apud populum Dei, quod apud Græcos, ex solo communi sensu homicidia & eiusmodi scelera detestantes, ἀναγνίζειν, καθέρχειν, ἀνίστιον εἶναι, cuiusmodi homines Erinnybus dicebant agitatos, certis ritibus expiandos, vt tum ex poetis, tum ex historicis Græcis liquet. Nec aliud Latini significare voluerunt, quum dicerent alicui interdictum aris & focis qualis fuit etiam apud eos deportationis pœna. Erat igitur hæc pœna partim ciuilis, quum ciuitatis Israeliticæ ius adimeret, partim spiritualis, vtpotè quæ superiori immunditiæ, aliquid etiam labis adiiceret. Resp. 3. Psal. 55. 24.

Præterea quod semel est extra ordinem factum à Petro in Anania & Saphira, & à Paulo in Barlesum miraculo & extraordinario Dei impulsu, non fuit profectò cum Apostolico ordinario Resp. 4.

Resp.5. dinario ministerio confundendum. Istam denique tollendi quempiam è medio Ecclesię potestatem quo iure Senioribus, id est, singularum Ecclesiarum gubernatoribus ereptam, solis Apostolis datam dixerimus ? Quod enim dicit Paulus iampridem à Corinthiis factum oportuisse, sublatum istum videlicet è medio Corinthiacæ Ecclesiæ, siue cum D. Erasto de interfectione, siue nobiscum de excommunicatione quispiam interpretetur, nisi fuisset ordinariæ Corinthiaci presbyterij potestatis, cur tam grauiter cum iis expostulasset Paulus, &

Gal.5.9.&12. hoc ab ipsis in nomine Domini cõgregatis, quos alibi τὰς πόλεις appellat, fieri iuberet ? Sed & illud, *vtinam exscindantur* in epistola ad Galatas, quorsum optasset fieri à Galatis Apostolus, si hęc excisio, quomodocunq; illam explicemus, non erat in illorum potestate ? Nam de diuinitus petenda abscissione istud non esse accipiendum, sed de exclusione ab Ecclesia hoc cauterio repurganda, satis ostendit quod antea de fermento dixerat, cuius sublationem Corinthiis idem Apostolus in eodem sanando morbo præcipit. Nec mihi quisquam vnquam persuaserit iussisse Apostolum, vt Ecclesiæ Christianæ à Deo peterent vt hunc vel illum è medio tolleret, quantumuis vel falsa doctrina, vel malo exemplo Ecclesiæ gregi noxiũ : quum eorum etiam qui excommunicabantur salutis rationem vel maximam haberi velit, vt Christiana charitas iubet: & de pastorum hac in re officio differens, non vtatur durioribus verbis quàm ἀφίστασθαι, & παραιτεῖσθαι : nec Iudæos odio pertinacissimo veritati resistentes aut interfecerit, aut perat interfici, sed è cõtrario optarit pro illis, si fieri potuisset, ἀνάθεμα εἶναι ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ, Mosis ea in re pro Apostatis & detestabilibus idololatris exemplũ æmulantis. Neque istis repugnant peculiares extra ordinem aduersus certas personas à Prophetis, vt & ab ipso

2.Tim.4.13. Paulo aduersus fabrum illum conceptæ preces, quale etiam quiddam Chrysostomo & Epiphanio inter se dissidentibus

Luc.9.54.& 2.34. contigit. Non sunt enim ista peculiari aliquo Dei afflatu gesta, temerè ad exemplum trahenda, vt suos discipulos Christus ipse tum verbis admonuit, tum exemplo suo in ipso mortis agone, vt & Stephanus in media lapidatione, docuit : sicut

Act.7.6. etiam neque Magistratuum, quos ad terrorem malorum Deus gladio quoque armauit, auctoritati & functioni quicquam detrahunt, neque à censuris Ecclesiasticis exercendis pastores deterrent.

Ita

Ita igitur ad singula D.Erasti argumenta responsum esto. In recepta verò huius loci interpretatione certè non reperio quid tandem coactum inueniatur. Vbi enim reperietur vel apex vnus in tota scriptura, ex quo confirmetur Tradere Satanæ, idem declarare, atq; Per Satanam interficere? Satanę autem regnum est mundus. Meritò igitur dicitur Satanæ traditus, qui ab Ecclesia iubetur exulare. At cur sic loquitur Apostolus? nempe vt quàm horribile sit ex cœtu Ecclesiæ eiici, meliùs intelligeretur. Confirmatio veræ interpretationis loci, ex 1.Cor. 5. 5. Ratio. 1.

De spiritualibus autem loquentem Apostolum, & idcirco Apostolatu fungentem, cur, obsecro, dixerimus de corporalibus pœnis leges, siue extraordinarias, siue ordinarias ponere? Mosem leges etiam politicas & forenses ferentem, de his statuere mirum non est. At Christum vel Apostolos non reperio tale quicquam facere vnquam cogitasse, vbi præsertim Ecclesiæ vel earum pastores compellantur. Ratio 2.

Quòd siquid tale per Ecclesias factitatum esset, quàm magnus patefactus fuisset aditus aduersariis ad calumniandam Euangelicam doctrinam, quasi omnis ἀτυξίας causam, quòd hodie pseudoecclesiæ Romanæ nimis verè obiicitur? Immò an non sic fuissent facilè conuicti occultorum, quæ ipsis obiiciebantur, homicidiorum? vel quòd carne humana vescerentur? arrepta proculdubiò occasione, ex spirituali Dominicæ carnis esu & eiusdem sanguinis potu. Ratio 3.

Quòd si hoc facerent Christiani magistratus quod hic optat, nempe vt omnes ebriosos, scortatores, & similes gladio tollerent, quàm multis carnificum millibus hodie opus esset? quantopere fœteret Euangelium? & quid inde tandem boni eueniret? illud certè ad summũ, vt multi peccare odissent pœnę formidine. At virtutis amorem gignit spiritualis pœna, cõscientiã stupidam sic afficiens sui peccati sensu, vt remedium simul proponat, quòd & vulnus sanet, & authorem vulneris, Carnem videlicet, & Satanam, perimat. Ratio 4.

His adde, quòd nihil vsitatius est apud Apostolum & apud alios sacros scriptores vti CARNIS nomine, tũ pro fœda illa corruptione, tum pro homine quatenus non est regeneratus: cui opponitur spiritus, id est, interdum quidem illa ipsa vis spiritus, qua sanctificamur: interdum verò idem homo, sed πνευματικὸς, i. quatenus Spiritu Dei agitur, vt passim sacræ literæ loquuntur. Itaque quod Apostolus hic dixit εἰς ὄλεθρον τῆς σαρκὸς, Ratio 5.

Rom.6.& 7. non possis rectiùs interpretari, quàm his eiusdem verbis, ἵνα καταργηθῇ τὸ σῶμα τῆς ἁμαρτίας, τῷ μηκέτι δουλεύειν ἡμᾶς τῇ ἁμαρτίᾳ: quo sensu idem dicit mortuum id esse, à quo detinebamur.

Ratio 6. Istud autem Dei donum sequitur, necessariò istam Carnis, siue naturæ non regeneratę cędem & abolitionem spirituali virtute factam: vt qui sic ex Carne factus est Spiritus, seruetur. Contrà verò qui capitis supplicio afficitur, & quidem sub Satana carnifice, quomodo aut quando resipiscere per hanc pœnam dicetur? num post mortem in futuro seculo?

Ratio 7. Denique si quispiam tantæ pœnæ denuntiatione perterritus statim resipuerit, quo iure illum Ecclesia Satanæ traderet? id est, necaret, vt seruaretur eius spiritus, qui iam & corpore, & animo saluus esset? Supereſt ergo vt soli non resipiscentes traderentur Satanæ interficiendi. At mortuorum non resipiscentium spiritus, vbi legitur saluos futuros in die Domini, quum resipiscentia, & peccatorũ remissio sint duę res cõiunctissimę?

Ratio 8. Præterea si per Spiritum intelligatur anima, & corpus per Carnem, quomodo dicetur ὀλεθρίευθαι corpus, id est perdi, animus verò saluus fieri? an enim seruari potest alicuius anima, cuius corpus damnetur? Quòd si ὄλεθρος referas duntaxat ad ipsam corporis putrefactionem: cur ergo solius spiritus salutis meminerit, quum & anima & corpore homo ille resipiscens seruetur? Sed de hoc loco plus satis.

Arg.9.pro excommunicatione. *Cohæret cum illo Apostoli loco, alter, vbi eodem prorsus sensu dicit, Philetum & Hymenæum blasphemos, id est doctrinam resurrectionis oppugnantes, à se traditos fuisse Satanæ, vt discerent non blasphemare.* Hæc autem verba, quomodo tandem interfectioni corporis applicabuntur? Nec enim videmus quid magis ridiculũ dici possit, quàm occisum fuisse quempiã, vt sanctiùs de Deo sentire & loqui doceretur. Longè sanè rectiùs Phlegias ille apud Virgilium, ex inferis quidem concionans, sed viuis, Discite iustitiam moniti, & non temnere diuos. Non dicit autem Apostolus, (sicut suprà ex Chrysostomo in hunc locũ citauimus) vt doceat nõ blasphemare, (nec enim pietatis, aut vllius boni magister est Satan) sed vt docerentur ipsi non blasphemare, à quo? à Spiritu Dei videlicet, qui quos diligit, castigat. Iubet enim charitas de quibusuis bene sentire, sperare, sollicita etiã in primis de iis qui vicini sunt exitio: & probabile est, suis saltem plagis emendatũ iri, qui non sunt penitùs desperati.

Age verò illa quoque expendamus, quæ in hunc locũ propriè

priè & peculiariter excipit D.Eraſtus. *Videtur*, inquit, *interfecti, quoniam παρελευθῶσι declarat præteritum & factum quippiam. Quod si eos Apoſtolus ex cœtu fidelium ſolummodo eiecisſet, non propterea deſiiſſent maledicere & blaſphemare, immò fortaſſe multò audaciùs & licentiùs id fecisſent.* Obiect.1. D.Eraſti. Reſp.1.

Primùm quod ad Grammaticam rationem attinet, extra controuerſiam poſitum eſt, illa tempora in iſto præſertim ſubiunctiuo modo, ſæpiſſimè ſolere permutari. Sed huc nobis deueniendum non eſt. Agit de præterito Apoſtolus, quoniam totum illud præterierat, vt ſi rem præteritam narrans dicerem, Chriſtus precatus eſt pro Petro, vt non deficeret fides eius, tum mihi dicendum eſſet ἵνα μὴ ἐκλείπῃ: Chriſtus autem de precibus ſuis pro re futura loquens, rectè dicit precatus ſum vt non deficiat ἵνα μὴ ἐκλείπῃ. Iam autem exempli gratia, ponamus fidem Petri defeciſſe (hoc enim nihil intereſt in eo de quo quærimus) An exitus rei contrarius Chriſti deſiderio, & precibus, quicquam in ipſa dicendi formula variauerit? nihil prorſus. Itaque ex illo παρελευθῶσι cõlligere nulla ratione poſſit eueniſſe, vel non eueniſſe, quod propoſitũ erat Apoſtolo, quum illos Satanæ traderet, neque ſanè quicquam hoc ad rem facit. Immò liceat quoq; hoc nobis dicere, neminem ſic loqui ſolere, aut etiam poſſe, tradidi eos Satanæ vt edocti ſint non blaſphemare: quoniam conſilium duntaxat, & ſcopus deliberantis ſignificatur particula ἵνα, non autem exitus cõſilij, quod exprimeretur particula ὥστε, cum infinito modo, non illa τελικῇ coniunctione, quæ ἴσον δύναμαι τῷ ἵνα, ſed ea quam Græci συμπερασμὸν ἀποτάσεως vocant, & quæ Latinis ſignificat, Ita vt, vel Adeò vt. Omnino igitur hoc loco vertendũ eſt ἵνα παρελευθῶσι, *vt diſcant*, ſi modo pendebat adhuc exitus; vel, *vt diſcerent*, ſi quidem id vel iam euenerat, vel nõ euenerat. Sed illud planè mirari ſatis non poſſumus, effectum huius rei à D. Eraſto ſuſpendi ab eo quod ſi eueniſſet, ſi modò ipſius explicationem ſequamur, exitus ille conſequi non poterat, nempe vt prius interficerentur, & ita diſcerent non blaſphemare. Nam ſi diſcere non blaſphemare, idem eſſet, atque non poſſe blaſphemare, dixiſſet potiùs Apoſtolus, *vt non amplius blaſphemarẽt*. Reſp.2. Reſp.3. Reſp.4.

Quod autem opinatur iſtos, ſi eiecti fuiſſent è cœtu, eò fuiſſe audaciùs blaſphematuros, cum Pauli ſpe & conſilio non congruit. Quoties autem iſta ſeueritate vtimur, iubet nos charitas benè potiùs quàm malè ſperare, & ad eum finem, nempe ad ædificationem proximi, omnia dirigere. Quòd ſi ſpes illa

nos fallat, modò culpa in nobis nulla sit, imputabitur hoc illi qui salubrem medicinam necessariò propinatam, ferocitate aut etiam impietate sua, exitialem sibi reddiderit.

Obiect. 2. D. Erasti.

Affert etiam istud D. Erastus. *Dispar fuit ratio istorum, qui circa fidem naufragium fecerant, & illius Corinthij. Ideo illum noluit Apostolus simpliciter tradere Satanæ, sed tantùm ad corporalis vitæ interitum, vt saluaretur anima in die Domini Iesu. Hos verò vt discerent non blasphemare, Satanæ adiudicauit.* Nos autē de illo Corinthio

Resp. 1.

satis supérque multa diximus. Sed quòd ad istos attinet, etiamsi diuersa fuit causa, quoniam ille quidem incestuosus erat, isti blasphemi, an propterea consequetur diuersam esse istorum pœnam ab illius pœna? *Non*, inquies, *in re ipsa, sed*

Resp. 2.

in Pauli consilio. Hanc verò consilij diuersitatem in eo ab Erasto statui existimamus, quòd ille quidem sic traditus fuit Satanę, vt tamē etiam si necaretur à Satana, benè sperari vellet Apostolus de animæ ipsius salute: isti verò penitùs sint Satanæ adiudicati. Istud autem si verum est, quid aliud consequetur, quàm maiorem excommunicationem, siue ἀναθεματισμὸν D. Erasto probari, qui tamem exclusionem à Cœna Domini non probet? Nam hic fuerit verus & irreuocabilis anathematis-

Resp. 3.

mus, aut siquid etiā est eo grauius. Cæterùm, grauius esse vult D. Erastus, Tradi Satanæ, vt quispiam discat non blasphemare, quàm si tradatur ad interitum carnis, vt salutis sit eius spirirus. Sed qua tandē ratione? Nullam enim audio. At mihi vnū & idem vtrobiq; videtur significari. Est enim etiam blasphemia, & hæresis, fructus carnis, qui in eo aboletur, qui ex blasphemo pius euadit: & qui didicit non blasphemare, is sanè in salutis viam ex qua digressus erat, regressus est.

Arg. 10. pro excommunicatione. 1. Cor. 5. 6. Gal. 5. 9.

Eodem illo capite Apostolus ab hypothesi ad thesin ascendens, Corinthios, grauiter increpatos quòd anteà de repurgandis suis cœtibus non satis fuissent solliciti, admonet vt dent operam deinceps ne quid tale inter ipsos contingat. Citat autem hac de re Legis Mosaicæ præceptum, allegoricè siue anagogicè explicatum, vt & in epist. ad Galatas, de tollendo omni fermento, quòd typus sit omnium eorum qui totam massam, id est, vniuersum Ecclesiæ cœtum, quodammodo fermentare possent, hoc est, iisdem vitijs & sceleribus obnoxium reddere: déque comedendis panibus azymis, qui fuerint eius puritatis typi, quæ in Ecclesia Christiana vigere perpetuò debet: vtpote quæ perpetuum quoddam Paschæ festum agitet, veri nimirum illius agni Iesu Christi immolationi sanctimonia vitæ respondens.

Hanc

Hanc autem esse huius loci planam & perspicuam, & cum præcedentibus ac subsequentibus manifestè congruentẽ explicationem dico, quæ (vt paucis omnia complectamur) impurorum offendicula cum fermento : sanctorum puritatem cum azymis. Ecclesiã ipsam cum massa: eiusdẽ cœtus publicos cum Paschæ festo: excõmunicationem deniq; cum fermenti ablatione (vt mihi quidem videtur) manifestissimè comparat: vt qui hoc inficietur, lucem neget meridie lucere: quam tamẽ sententiam D. Erastus sequentibus argumentis oppugnat.

Parùm enim verisimile est, inquit, *Deum aliquid apertis verbis mandare, & idem figuratè eodem tempore prohibere. Mandat apertè vt omnis masculus celebret Pascha, solis immundis exceptis. Non igitur voluit figuratè aliquibus aliis prohibere, vt ne celebrarent.* Concedimus totum argumentum. Quos autem alios, præter immundos iudicatos arcemus? Obiect. 1. D. Erasti. Resp. 1.

At non opus erat, inquit, *figurare tunc malos, quum satis multi essent. Figurantur enim præterita vel futura.* Immò si non fuerunt figurata etiam præsentia, quàm multa ex Dei verbo expungentur? Certè Circuncisio præputij & natiuam interiorem labem præsentem, & interiorem cordis sanctificationem, itidẽ in præsenti, ob oculos ponebat. Hoc idem vrrumq; indicabant purificationes, victimarum mactationes, & earundem cremationes. Sic enim illa pendebant ab iis quæ impleturus erat Christus, vt præsentem implendorum efficaciam, nempe peccatorum remissionẽ & regenerationis gratiam, contemplandam exhiberent: altera verò ex parte nihil nisi præsens, natiuas videlicet sordes, & præsentem miserrimam humani generis conditionem figurabant, atque adeò veluti chirographa quædam commeritæ mortis erant, quod etiam tum populus, tum sacerdos palàm testabantur. Et quum Dominus præcipit Sabbati obseruationem, annon præsentis etiam sanctificationis symbolum esse ostendit, quum inquit, *Vt sciatis quòd ego sum Dominus qui vos sanctifico?* Item vetans Dominus duci à sacerdote viduam, aut repudiatam, aut prophanatam, similiter hanc rationẽ affert, quòd sit Dominus qui ipsum sanctificat. Baptismus certè noster, & præsentes ortus nostri sordes, & præsentem quoq; earundem ablutionem nobis ob oculos fistit: Deinde mox agnoscit Erastus Paulum totius vit Christianæ sordes cum fermento, puritatem cum azymis conferre. An verò dicet nobis demum, quibus abolita sunt, esse ista cœ- Obiect. 2. D. Erasti. Resp. 1. Resp. 2. Resp. 3.

pisse rerum istarum figuras, ac non multò magis iis fuisse quibus ista facienda præcipiebantur?

Obiect. 3. D. Erasti. Resp. 1. *Sed* inquit, *non iubet Moses eum qui fermentum edisset, ab esu agni abstinere, sed occidi. Ergo sic quoque faciendum esset, si liberet hoc transferre ad Cœnam Domini.* Quasi verò vel Mosaicæ vllæ Ceremoniæ, vel pœnæ quæuis iudiciales Israelitiæ sint hodie in Ecclesiam introducendæ. Faciant sanè magistratus suum officium. Ecclesiæ verò sit satis audire Apostolum non dicentẽ, Occidite eum qui fermentum edit, sed Tollite è medio vestri, Resp. 2. id est, vt ipsemet explicat, Expurgate fermentum, vt pura maneat massa. Sed & illud nego, capitali pœna affectos, qui Num. 9. 15. & 19. fermentum edissent. Hanc enim formulam vt iam antea diximus, qua vsus erat antea Moses, nempe, Excindetur anima illa ex Israel, mox explicat de electione ex cœtu Israelis, quod nihil aliud est quàm vt impurum & prophanum à festi celebratione arceri, nempe ad secundum mensem vsque, vt de immundis cauetur. Sic alibi, eadem illa formula, *Exscindi ex Israele*, Num. 19. 13. nihil aliud significatur, quàm desinere inter Israelitas & circuncisos censeri, eo videlicet, qui cadauere attigisset, manente immundo, donec aqua expretionis fuisset aspersus, vt ibi expressè scribitur. Formulam autem illam eo loco, vbi de Pascha præcipitur, alicuius præterea diuini iudicij denuntiationem significasse, videtur manifestè liquere ex eo quod cõtigit sub Ezechia. Quum enim plurimi ex Manasse, Ephraim, Issachar, & Zabulon, qui non fuerant purificati, tamen contrà præscriptam legem edissent Pascha, non legitur eos interfecisse Ezechias, licet verè pius & religiosus princeps, & eo ipso tempore quo cultum Dei ex professo instaurabat, minimè contra legem facturus: sed, adiunctis sacrificiis pro peccato, precatus 2. Chron. 29. 20. esse dicitur, vt Deus illis propitiaretur. *Exaudiens autem Dominus Ezechiam*, inquit scriptor ille, *sanauit populum*, cui videlicet aliquod morbi genus immiserat. Et hoc ipsum est, quod teste Paulo Dominus fecerat quoque Corinthi, *Propterea*, inquit, *inter vos multi sunt languidi & ægroti, & obdormierunt multi.* Istud igitur, nihil ad capitales pœnas à Magistratibus inflictas pertinet, neq; excommunicationem tollit, sed eius neglectionem docet acribus pœnis à Deo vindicari.

Obiect. 4. D. Erasti. Excipit autem rursus, D. Erastus, *Iudæos toto anno fermentum edisse, exceptis septem illis diebus. Ergo (inquit) si ad Cœnam Domini placet hoc accommodare, licebit semper impurè viuere, excepto tempore*

quo

quo Cœna celebratur. Est autem in hoc argumento fallacia compositionis quam vocant. Nec enim Paulus fermentum absolutè, sed quatenus prohibitũ fuit, interpretatur allegoricè nostram impuritatem: nec quamuis fermentationem accipit pro impuræ vitæ contagione, sed eam quæ *sit fermenti veteris*, corrupti videlicet, & totam massam corrumpentis. Quod autem septiduanum festum erat ludæis, Apostolus vult Christianis esse perpetuum, Christi videlicet epulum spirituale mundanæ vitæ oppositum, in quo, vt alibi loquitur Christus, viuet in nobis, & nos in Christo. Resp. 1.

At non comparat Apostolus (inquit D. Erastus) *Iudæorum Paschа cum Cœna Domini, sed cum tota nostra vita.* Ita esto, quamuis Paulum res ipsa clamet aliquam hic habuisse specialem alicuius Ecclesiæ συνάξεως rationem, quò respicit etiam Massæ appellatio: ideóq; Paschæ festum, vt figuram cum corpore comparare. Sed minimè tamen nego Apostolum ad cæteras quoque vitæ Christianæ partes hanc doctrinam extendere, sicuti mox de impuris, à priuato etiam conuictu prohibendis differit: Totum autem quum concesserit D. Erastus, quo iure partem omnium Christianæ vitæ præstantissimam, nempe sacræ Cœnæ epulum exceperit? Obiect. 5. D. Erasti. Resp. 1. Resp. 2.

Atqui sensus anagogicus, inquit D. Erastus, *non est argumentatiuus, vt rectè dicunt Scholastici.* Rectè profectò, si de allegoricis humanis expositionibus hoc accipies: quibus fateor vniuersam sacram scripturam fuisse, auctore in primis Origine, à vero sensu aliò prorsus miserè, translatam. Allegoricas autem mysteriorum & vmbrarum legalium & historiarum quoq; sacrarum, nobis à S. Spiritu per os Apostolorum explicationes traditas, absit vt alio loco habeamus quàm legem ipsam in monte Sinai proditam, & sacra, tum Prophetica, tum Apostolica scripta Christianos omnes habere oportet. Obiectio 6. D. Erasti. Responsio.

Sed nunquam (inquit ille) *Pascha pro Cœna Domini ponitur, Christum enim Pascha nostrum dicit Apostolus immolatum esse pro nobis, non Cœnam ipsam.* Atqui ipsemet antea scripsit in Paschatis locum successisse Cœnam Dominicam: & ex eo quòd omnes ad Pascha non tantùm vocantur, sed etiam adiguntur, conclusit neminem à Cœna esse prohibendum. Nihil autem est vsitatius ista permutatione nominum typi, & rei per typum significatæ: & figuræ & ipsius veritatis: sicut baptizati dicuntur patres in nube, & circuncisi dicimur in Christo circuncisione Obiect. 7. Resp. 1. 1. Cor. 10. 1. Colossa. 11.

Resp.2. ἀχλεσποιήτῳ: Deinde vt Pascha, & pro agno, & pro festo ipso passim ponitur, cur non simili ratione & pro Christo qui est illius agni veritas, & pro paschate, Christiani sacramentali actione, id est Cœna Domini, in qua solennem commemorationem facimus transitus eius, & veræ nostræ liberationis, idem
2.Cor.5.8. nomen vsurpemus? Certè huc nos vocant Apostoli verba iubentis nos ἑορτάζειν ἐν ἀζύμοις εἰλικρινείας, & hæc fuit longè vetustissima Christianæ Ecclesiæ consuetudo, vt dies ille quo resurrectionem Domini celebramus, Pascha vocaretur, &
Resp.3. solennis tum quædam ὐχαριστικὰ συνάξεις celebraretur. Sed hoc pænè πάρεργον est, quum vnico Paschatis vocabulo, nostrum, vel Pauli potiùs ipsius, argumentum minimè nitatur.

Obiect.8. D.Erasti. *Duæ præcipuæ causæ fuerunt* (inquit ille præterea) *quarum recordatio Iudæis fuit commendata in celebratione festi azymorum, nempe subita & prodigiosa liberatio ex durissima illa Aegyptiorum seruitute, & primogenitorum conseruatio, quibus causis & significationibus esus agni Paschalis absque fermento, à Mose, adeóq; ab absomes Deo*
Resp.1. *traditis contenti esse debemus.* Fuerint sanè ista Iudæis præteritorum beneficiorum ὑπομνήματα: sed illa quoque nobis τύπος fuisse rerum illarum negari non potest, quin Apostolicis scriptis omnis detrahatur auctoritas. Illa ipsa igitur liberatio ex Ægypto, aliud longè excellentius adumbrauit: & istud quod per fermenti abiectionem, & azymorum esum, & per ipsum agnum, ac eius mactationem iam tum figurabatur, ad Christum ipsum respiciebat: & vsque ad seculorum consummationem
Resp.2. pertingit. An autem nos in illis externis, quę à Mose referũtur toti acquiescere possumus, quin Paulum quasi ὑπὲρ τὰ ἰσταμένα prouectum sequi recusemus? Neque verò istud negat D.Erastus mox subiiciens, *Seruiebant hæc etiam agnitioni futuri Christi, eiusdémq; officij.* Rectè profectò, & quid sunt præ istis illa duo, quæ, vt præcipua, priùs commemorauit? Sed ista quæ mox addit, cuiusmodi tandem sunt? *Si præter hæc*, inquit, *quæ præterita fuerant, futuri quoq; aliquid figurauisse cõtendatur, falsam doctrinam aut turpem vitam significare poterit fermentum. At non ita certum, exploratúmq; hoc nobis est, vt, sine alio præcepto à figura ad figuratum transferre pœnam nobis liceat.* Non est hic verò nobis, quic-
Resp.3. quam dissimulandum. Talia sunt ista, vt in ipsum Apostolum videri possint contorta. Ipso enim D.Erasto confitente, manifestè dicit Paulus fermentum illud inhibitum, fuisse impurorum hominum typum, à quibus sit expurganda massa, id est

Ecclesia.

Ecclesia. Quid conditione vlla hîc opus est? quid contendere hic opus est? An verò pœnam vllam transferamus à figura ad figuratum vltra Pauli verba, quo nullus melior quærendus est præcepti Mosaici interpres, age ex iis quæ respondimus, quiuis diiudicet.

At enim (inquit ille) *mandatur apertè omnibus, & singulis,* (ne improbis quidem exceptis) *vt Pascha, vnà cum alijs celebrẽt festis solennibus, & illud celebrare iubentur absque fermento. Docetur etiam quid hac Ceremonia indicetur. Frustra igitur aliam significationẽ quærimus.* Immò quum iubentur omnes Pascha celebrare, præcipitur simul digna præparatio: & quisquis pollutus iudicatus esset, vel ad priuatam mensam, nedum ad edendum Pascha, nisi priùs expiatus, negatur admittẽdus fuisse: quod fuisse hac ipsa tollendi omnis fermenti ceremonia iam tum significatum ac præceptum, ex Pauli verbis affirmo. Nam certè & iam tum Iudæos, & Christianos deinceps, pudisset, (quum prophanæ gentes, scleratos omnes à suis sacris abigendos esse censerent, vnde illud, Procul ô procul este prophani, & illud, ἐκτὸς, ἐκτὸς, βέβηλοι) sancta sua canibus & porcis prostituere. Obiect. 9. D. Erasti. Resp. 1. Resp. 2.

Præcipit iisdem Corinthiis Apostolus, ne vel cibus cum iis sumatur, qui, quum alioqui fratres nominentur, id est, in Ecclesia censeantur, turpem & flagitiosam vitam agunt. Idem Thessalonicensibus scribens, iubet vt nos subducamus ab iis qui dissolutè viuunt, id est, qui in ordinem se redigi non patiũtur, quos etiam notari iubet, & quibuscum vnà versari probibet. Ad eam rem verò Ecclesiastica iudicia fuisse constituta, manifestissimè declarat, nõ modò quum meminit congregatorum in nomine Domini, sed etiam quum præscriptis verbis, inquit, Nonne de iis qui intus sunt iudicatis? Ex quibus manifestè efficitur, excommunicationis disciplinam, expresso Apostolico mandato simul & exemplo niti. Sic enim argumentamur. Si cum iis quos Ecclesia sustulit è medio sui, ne cibum quidem communem capere licet: multò minùs in sacris, licet cum iis communicare. Sed rursum hæc excipit D. Erastus. Arg 11. pro excommunicatione. 1. Cor. 5. 11. 2. Thes. 3. 6. & 11.

Non debet (inquit) *Apostoli præceptum sic accipi, vt cum præcepto exemplóque Christi pugnet. At supra ostendi Deum peccatores à sacramentis non abigere, sed ad ea potiùs colligere, vt ad pœnitentiam faciliùs inuitentur.* Concedo Propositionem: Assumptionem distinguo, sæpissimè iam refutatam. Nam vocabantur quidem ad sacrificia peccatores, sed qui respiscentiam publicè testarentur, & ita expiati Deo & Ecclesiæ reconciliarentur, ex quo efficitur ni hoc facerent fuisse exclusos. An nos verò aliter Obiect. 1. D. Erasti. Respons. Leuit. 4. & 6.

cum

cum iudicatis peccatoribus agimus?

Obiect.2. D.Erasti. *Immò* (inquit ille) *pugnaret secũ Apostolus, si sic istud intelligi voluisset, quippe qui quũ impuros Corinthios abstinere vellet à sceleribus, non minetur interdictionẽ à Cœna, sed dicat fore vt Deus eũ nõ parcat, quamuis eadem atq; sancti & boni sacramenta participent.* Imò verò quid manifestiùs dici potuit, quàm quòd scelcratos quos fermentum vocat, iubet à massa expurgari, & cum reiectitiis vetat vel cibum sumi? vt hinc quoq; manifestè colligatur, illud, Tollite ex vobis ipsis, non posse aliud quàm illam expurgationem siue eiectionem ex Ecclesia declarare. Insani enim hominis esset vetare cum Satanæ traditis, id est (vt ipse D.Erastus interpretatur) cum interfectis cibum capere, & alibi præcipere vt mortui nihilominus tanquam fratres admonerentur.

1.Cor.5.7.& 11.

Resp.1.

Resp.2. Id verò quod dicit, fore vt Dominus indignè ad eadem cum bonis sacramenta accedentibus non parcat, minimè euertit malorum reiectionem, à mensa Domini: sed partim ad eos demum refertur de quibus Ecclesia non iudicauit, siue quòd nõdum sint iudicati, siue quòd eos adhuc patienter toleret: partim in ipsos huius disciplinæ contemptores dicitur, cuius vindex futurus est Dominus, nedum vt sic aboleatur.

Obiect.3. D.Erasti. *Differunt etiam*, inquit, *plurimùm, Interdicere alicui familiaritate hominum, & vsu Sacramentorum: & multi etiam vltrò abstinent à malorum consuetudine, cum quibus tamen in templo precari, & sacramenta vsurpare non verentur, quoniam boni à malis non polluuntur, in vsu ceremoniarum à Deo institutarum.* Differre verò illa duo non negamus: imò sic differre dicimus, vt longè plus sit interdicere vsu Sacramentorum, quàm priuata hominum cõsuetudine. Sed cui quod minus est denegatur, qua ratione concludetur, quod maius est concedi? *At illud*, inquit, *præceptum est, istud non est præceptum.* Imò vero etiamsi expressa alia præcepta, quę antea declarauimus non extarent, istud in illo satis præceptum intelligeretur. Et vt liqueat Apostolum sic voluisse à Comparatis argumentari, obseruandum est illum non scripsisse, τῷ τοιούτῳ μὴ συνεσθίειν, *Cum eiusmodi homine ne cibum capite*, sed μηδὲ συνεσθίειν, *ne cibum quidem capite*, cuius particulæ μηδὲ ea vis est, sicut omnes norunt, vt minore negato, fortiùs negari quod maius est intelligatur, vt sententia ita fit necessariò explenda, Ne cibum quidem capite, nedum vt (quod plus est quàm vnà cibum capere) habeatis cum ipso communem, vt si dicerem, Ne teruncium quidem habeo, nedum vt opes possideam: ne cogitaui

Resp.1.

Resp.2.

Resp.3.

taui quidem, nedum vt fecerim. Deinde hoc loco non simpliciter, neque in genere differi de cauenda malorum consuetudine, sicut idem Apostolus alibi docet, prolato etiam Menandri versiculo, liquet tum ex eo, quòd simul eodémque contextu meminit congregatorum in nomine Domini: tum verò vel maximè quòd eos qui sunt intus, manifestè ab iis qui foris sunt distinguat: illos quidem volens ab Ecclesia iudicari, istos verò Domini iudicio relinquens: cui discrimini in illa generali præceptione de malorum consuetudine vitanda, locus nullus relinquitur. In Epistola verò ad Thessalonicenses, Apostolus non vtitur verbo σημαίνειν, quod declarat Verbis aut literis, aut alio modo quippiam significare, sed σημειοῦσθε, inquit, id est Notate, & veluti inusta nota compungite, vt eum sui ipsius tandem pudere incipiat. Resp. 4. 1. Cor. 5. 4. & 12. 2. Thess. 3. 14. Resp. 5.

Denique bonis manere bona sacramenta, etiam si qui mali ad eadem accedant, absit vt inficiemur. sed minimè ex eo colligitur nullos esse à Cœna Domini arcendos. Nec enim hanc causam afferimus arcendi cuiusquam à mensa Domini, sed quòd mali non audientes Ecclesiam, & propterea è cœtu Ecclesiæ ex Domini mandato erecti, donec resipuerint, partem non habeant in Dei regno: ideóque à pastoribus scienter ad Cœnam admitti non possint, quin sibi ipsis contradicant, & vulnus, cui sanando incumbere debent, exulcerent, officium denique non faciant. Quin etiam priuati si tales homines iudicatos alio loco habeant, quàm Ecclesia statuerit, teste Ioanne, communicant malis eorum operibus, & illud Christi mandatum violant, Esto tibi sicut Ethnicus & Publicanus. De Publicanis verò, quibuscum Pharisæi cibum quidem non caperent, & sacra tamen communia haberent, alibi diximus. Resp. 6. 2. Ioan. 11.

At enim (inquit D. Erastus) *istorum duorum fines sunt longè diuersi: priuatus enim conuictus alit vitia, negatio verò illius pudefacit. An verò sicut Cœnæ Domini negationem pudefacere dicitis, eiusdem vsu foueri vitia dicentur? At hoc scriptum non est, sed hoc scriptum est, institutam esse Cœnam, vt concelebretur mors Domini. Hoc si quis cupiat cum aliis facere, annon impiè abterrebitur?* Multa verò in hoc argumento inuoluuntur, ad quæ sigillatim respondebimus. Cum fine interdictæ priuatæ consuetudinis, non debuit finis institutionis sed interdictionis Cœnæ comparari, vt opposita sese ex aduerso respicerent, quod vt meliùs liqueat, age rectam istorum collationem sic instituamus. Obiect. 4. Resp. 1.

Finis

Finis priuatæ consuetudinis est, vt inter priuatos mutua coniunctio foueatur. Ideò malos fugere debent boni,ne & ipsi mali fiant. Finis Synaxeos Christianorum hic est, vt mutua ipsorum in Christo,cuius mortem vnà concelebrant, coniunctio foueatur. Ergo danda est opera,vt mali contumaces,legitima causæ cognitione præeunte, à Synaxi arceantur. Quæ enim coniunctio esse potest lucis & tenebrarum? & quomodo mortem Domini annuntiarint, qui Ecclesiam non audiunt, ideóque ex Ecclesia sunt electi? Ita finem & vsum istorum duorum minimè oppositum esse vides,& paria idcircò argumenta vtrinque duci,1.Cor.5,6,& 11.

Nunc finem denegationis eorundem comparemus. Is autem quum sit multiplex, eum ipsum deligemus, quem D.Erastus commemorat. Finis istius interdicti priuati conuictus hic est,vt aliquis pudefiat: quoniam probrosum est, aliorum conuictu indignum censeri. Finis interdicti sacri conuentus,idem est, & quidem tantò maioris ponderis, quantò publica priuatis,sacra communibus præstant. Ergo vbi vnicum hoc pudoris remedium relictum est,eo vtendum est:nempe vt à priuata fratrum consuetudine, ac proinde à sacra eorundem synaxi tãquam indignus arceatur,de quo sic iudicauerit Ecclesia. Sic igitur illi responsum esto. Adiiciemus tamen hoc quoque,non esse repugnantia hæc duo, sed optimè cohærentia,institutam esse Cœnam vt mors Christi vnà celebretur, &, interdictam Cœnam, vt quispiam huius probri sensu acerrimè vulneratus, & resipiscens, mortem Domini ritè celebret. Quod autem in extremo dicitur, impiè reiici qui vnà cum aliis Cœnam celebrare,id est,Domini mortem annuntiare cupiunt, distinctione indiget,quãdo quispiam est ἀκατακτος iudicatus. Quid si enim quispiã quid cupiat non satis intelligat? quid si simulatè ipsum agere vel iusta sit suspicio,vel etiam aliũde liqueat? quid si etiã totius Ecclesiæ interfit,differri ipsius desiderium? Non est igitur istud axioma temerè obseruandum. In genere tamen tantùm absumus ab eo vt repellamus verè cupientes in gratiam redire cum Ecclesia (verè autem cupere dici non potest, qui Ecclesię priùs satisfacere recusat)vt contra ob hoc ipsum præcipuè vtamur excõmunicatione,vt qui peccauit,bonum,quod suo exitio aspernabatur,seriò discat ad salutem appetere.

Resp.2.

Resp.3.

Arg. 11. pro excommunicatione.

Idem Apostolus eâdem ad Corinthios epistola. Siquis(inquit)non amat Dominum Iesum Christum,sit anathema Maranatha. Est autem istud

stud manifestè grauissimæ excommunicationis species : ideóque non dubium est quin dicat execrabiles omnibus esse oportere, qui sunt Christi hostes ex impuritate vitæ vel doctrinæ indicati, quamuis alioqui in Ecclesia censeri velint.

Idem ad Galatas, Si quis vobis (inquit) Euangelizauerit præter id quod accepistis, anathema sit. Ergo excommunicandi sunt pertinaces sanæ doctrinæ turbatores. Arg. 12. pro excommunicatione.

Idem eâdem epistola, Vtinam exscindantur qui vos conturbant. Ergo exscindendi sunt qui opus Domini pertinaciter impediunt. Quod si quis roget, cur ipsemet Apostolus istos non exsciderit, siquidem hac potestate pollebat, & absens incestuosum illum Corinthium Satanæ tradiderat. Respondeo Apostolum quamuis pro suo iure fortassis id facere potuerit, nunquam tamen id authoritatis sibi priuatim vendicasse, vt qui Corinthios nominatim velit congregari, quorum etiam suffragiis, non autem suo vnius arbitratu, miser ille Satanæ tradatur. Ita igitur hîc quoq; primùm quid Galatis sit faciendum præcipit, quum, inquit, Sit anathema : deinde quod suum sit desiderium explicat : nec vlterius progreditur, quoniam proculdubio non tantùm quid liceret, verùm etiam quid expedires spectauit. Ac proinde ad illam quoque obiectionem, quòd Paulus nulli Galatarum Cœna Domini interdixerit, D. Eraſto responsum esto. Gal. 1. 8. Arg. 13. pro excommunicatione. Gal. 5. 12. 2. Cor. 5. 4.

Idem Apostolus non vno loco iubet sedulò obseruari, ac deuitari dissidiorum & offendiculorum auctores : & pastores præsertim secedere à Sophistis, sanam doctrinam suis vanis argutationibus deprauantibus : & hæreticum hominem sedulò commonefactum reiici : quæ omnia nisi ad hanc Ecclesiasticam disciplinam referantur, vsurpari ritè nulla ratione possint, quum non sit cuiusuis animaduertere hæreses : & priuato cuiusquam arbitrio hunc vel illum defugiendum relinquere, nihil aliud sit quàm schismatibus, & infinitis offendiculis ianuam aperire. Arg. 14. pro excommunicatione. Rom. 16. 17. 1. Tim. 6. 3. 4. 5.

Ioannes autem manifestiùs etiam id demonstrat, quum eiusmodi homines, ne domum quidem recipi, atque adeò ne salutari quidem patitur. Nam id certè fieri, nisi re iudicata, charitas non sinit, Quos verò potiùs quàm pastores deceat, & illos fugere, & fugiendos aliis prædicere? Quibus verò ne domos quidem priuatas temerè patêre oportet, quisnã verus pastor, ad mensam vsq; Domini (nisi respicentes aut immutatos) introducet, quin operibus eorũ malis communicet, vt idem Ioannes loquitur? Arg. 15. pro excommunicatione.

Iudas quoque (vt alibi diximus) eos quos vocat Agaparum labes & maculas, præcipit, si insanabiles alioqui fuerint, terrore seruandos, & ita quidem, vt vel contactum ipsorum fugiamus, nedum vt eis polluenda sancta in manus tradantur. Arg. 16. pro excommunicatione.

Quæ quum ita se habeant, facilè iam cuiuis fuerit diiudica-

re,

re, iísne qui excommunicationem à Cœna Domini vt neque præcepto, neq; exemplo vllo ex verbo Dei petito constitutam prorsus reiiciunt: an nobis qui & ab initio mundi à Deo vsurpatam, & deinceps ab eòdem sancitam, in Ecclesia Dei sub Lege obseruatam, à Christo postea disertè confirmatam, ab Apostolis & inculcatam sedulò & vsurpatã affirmamus. A temporibus autem Apostolorum ad hæc vsque secula, nunquam illa caruisse Ecclesias, ne tum quidem quum acerbissimæ persequutiones vigerent, nunquam audebit, opinor, vllus inficiari: nec vnquam, nisi aliquot ab hinc annis, magis fuisse dubitatum, sitne excommunicatio iuris diuini, (legitima, inquam, illa, non autem Oligarchica neque Tyrannica) quàm dubitatum est, an sit Euangelio credendum.

De Presbyterio.

Supereſt eorum vltimum, de quibus nos etiam aliquid dicturos promisimus, nempe de Seniorum collegio, quod Iudæi συνέδριον, Christiani presbyterium, Apostolo teste, vocarunt: sitne videlicet huiusmodi collegium aliquod ab Apostolis institutum, penes quod esset Ecclesiasticæ gubernationis auctoritas, quod nos affirmamus, D. Erastus verò planè inficiatur. Expendemus autem nostro more quæ sparsim profert argumenta: deinceps nostras quoque rationes allaturi, ac tandem aliquid etiam de ipso excommunicationis vsu dicturi.

Arg. 1. D. Erasti, pro duplici iurisdictione Synedrij Iudaici.

Reuocat nos igitur D. Erastus ad Israeliticæ politiæ statũ, qua vigente contendit Magistratus Israeliticos simul & religionis & ciuilium rerum potestatẽ habuisse, quærens *cur non tã debeat hodie Christianus Magistratus vtramque tabulam custodire, ac religionẽ omnem constituere, quàm in veteri testamento facere debuit.* Accipio conditionẽ, sed additis ex Dei verbo exceptionibus, quibus tum Israelitica ciuilis politia fuit à Leuitico sacerdotio distincta, tum Christus merè Ecclesiasticam administrationem à Magistratuum Christianorũ officio in Ecclesia Christiana discreuit. Ac de priore quidem illo priùs, de posteriore postea differam. Fateor igitur & iam tum, & nunc quoque pio & religioso Magistratui commissam fuisse & esse vtriusque tabulæ, atq; adeò tum spiritualis, & conscientiam respicientis, tum humanæ societatis pacem respicientis iuris conseruandi auctoritatem: at non sine magno discrimine. Iuris enim diuini statuendi, siue doctrinam ipsam, siue externæ administrationis externam formam spectemus, solus Deus potestatem sibi

Resp. 1.

bi vni seruauit, omnes ἀποδρησείας damnans: ad constituendam religionem patribus quidem, multis vicibus & multis modis per Prophetas, ac præsertim per Mosem, horrenda adhibita obtestatione, ne quid verbo suo per Mosem scripto adiiceretur vel detraheretur, loquutus: vltimis autem diebus, primùm ore Filij sui, ac deinceps per Spiritum Sanctum per os Apostolorum loquentem, plenissimè tota nobis patefacta, ac scriptis etiam Apostolicis prodita patris de nobis seruandis voluntate: cui proinde quicquam ad consummationem vsque mundi adiicere vel detrahere, nec fas vnquam fuit, nec erit, neq; in ipsa fidei doctrina, neq; in ipsius externæ administrationis Ecclesiasticę substantia. Ordinis enim externi speciē & formam quatenus à varietate circunstantiarū loci, temporis & personarū dependet, variari interdū necessariò oportuisse, in Ecclesia Christiana nunc ex quibusuis populis collecta, nō inficior: sed addita demum duplici conditione. Vna, vt ad ipsam substantiam ordinis diuinitus instituti & ad vltimum vsq; diem immoti normā & amussim cuncta quàm diligentissimè exigantur. Altera, vt nihil hîc suo arbitratu, & pro imperio cōstituant Magistratus quantumlibet Christiani. Immò neque pastores, neq; doctores, neq; presbyterium de rebus illis leges figant aut refigant: sed vbi Christianus est Magistratus, de nouandis illis rebus in communi primùm & Magistratus, & Ecclesiasticis muneribus fungentium cœtu sanctè simul & prudenter disceptetur, & adhibito tandem Ecclesiæ totius consensu, statuatur: cuius ordinationis, vt & totius sacri ministerij non auctor, vt in ciuili politia, vbi ius etiam condere, & abrogare licet, sed custos ac vindex sit Magistratus. Itaq; vt Ecclesia rectè ex verbo Dei constituta sit: vt omnes Ecclesiasticis muneribus fungentes officium faciant, & Ecclesiæ pacē contumaciter turbantes ciuilibus pœnis, mulctis, carceribus, verberibus, capitalibus denique, si sit opus, suppliciis puniantur, pius Magistratus sedulò & in primis curare debet, vt qui sit à Deo constitutus non tantùm vt æquitas & honestas morum in societate humani generis conseruetur, verùm etiam præcipuè vt Filium Dei osculetur: vt nutritius sit Ecclesiæ: vt sanctè & piè viuant, quos ipsius fidei Rex ille Regum commisit: id quod fieri, nisi substrato solido regnorum omnium fundamento, id est sacro ministerio bene constituto & administrato, & sarto tecto conseruato, non potest. Vicissim autem sacri

Hebr.1.1.

Deut.12.32. Ioan.15.15. Act.20.27.

1.Cor.7.35. 2.Cor.1.24. 1.Pet.5.3.

1.Tim.2.2. Psal.2.12. Esa.49.23.

1.Cor.4.2.

ministerij

ministerij muneribus fungentium officium est merè πνευματικὸ dispensare, verbum Dei non tantùm publicè, verùm etiam, prout opus est, priuatim ac sigillatim docendo, monendo, arguendo, increpando, ac interdum etiam Ecclesiam non audientes, salutari cauterio adhibito, prudenter & sanctè separando: ita vt ne tantillum quidem de ciuili Magistratus iure deliberet: resipiscentes deniq; anteà ligatos, tandem adhibita consolatione soluendo. Quorũ enim est conscientias ex Dei verbo cum auctoritate regere, eorum etiam est illas aberrantes, censura diuina, vt eleganter loquitur Tertullianus, castigare, & in gratiam cum Deo & Ecclesia redeuntes recipere.

Tertul. Apolog. cap. 39.

Resp. 2.

Has igitur iurisdictiones natura quidem sua diuersas esse & vnam quidem merè & propriè diuinis legibus, alteram verò humana prudentia & auctoritate niti res ipsa ostendit. An autem vtriusque administratio fuerit Magistratui cõmissa, hoc illud est de quo nunc à nobis quærendum videtur, vt superioris enthymematis antecedenti occurratur. Dico igitur tantũ abesse vt rectè D. Erastus istam vtriusq; iurisdictionis copulationem ab eo ordine inchoarit, quem Dominus per Mosen in Israele constituit, vt contrà tunc demum cœperint illæ, sicut natura inter se differunt, ita quoq; diuersis administratoribus committi. Fuit enim Melchisedecus simul Rex & sacerdos Altissimi, more proculdubiò apud summos illos humani generis & ante, & post diluuium Patriarchas, non temerè à Mose, prætereritis cæteris, nominatos, & sua serie descriptos, vsitato. Sed & Abrahamum Prophetã fuisse, & familiæ suæ insignem doctorem, à quo fuerit etiam circuncisa, & qui proculdubio sacrificia quoq; exercuerit, sacræ literæ testantur. Idem quoq; Iobum factitasse legimus. Sed & Iuda Iacobi filius in sua familia, sicut ciuilis Magistratus in damnanda sua nuru, diuini quoq; cultus partes obiit: quò spectat etiam illa primogenitorum redemptio, (si Hebræis expositoribus credimus) quum Dominus ad solã tribum Leui spirituale sacrum ministerium transferret. Illis igitur temporibus, quum non vsq; adeò excreuisset humanum genus, & recens esset Patriarcharum illorum longæuorum doctrinæ memoria per manus tradita, potuit commodè tum religio tum ciuilis politia à Magistratu administrari. Paulatim verò deficientibus à vero Deo & syncero eius cultu Gentibus, Domino Deo nostro visum fuit ista certo quodam ordine descripta, populo suo in Abrahami vnius familiam

Gen. 14. 18.

Gen. 20. 7. & 18. 16.

Iob. 1. 5.

Gen. 3. 24.

miliam collecto,per Mosen describere. Quòd enim Heli fuit idem Pontifex & iudex,itidémq; Samuel,& ciuilis politię ante Saulis electionem, & Ecclesiastici ordinis instaurator : & quod à Machabęis,quos vocant,factitatum est:ista (inquam) singularia & extraordinaria fuerunt,neq; in exemplum ad diuinum turbandum ordinem trahenda. Quæ verò per ambitionem,vel potiùs tyrannidem ausi sunt tandem sacerdotes nihil moramur, quum fuerit nefas ab ordine diuinitus instituto recedere. Talem autem illum ordinem fuisse, qualem diximus,sic ex ipso Mose demonstramus.

Primùm igitur, quòd ad doctrinæ dispensationem,& sacros ritus omnes attinet,constituit quidem Moses,Deo singula ipsi dictante, Leuiticum omne sacerdotium : sed num ipse quicquam eorum egit quæ ad illud sacerdotium spectabant : & tamé in Mose multa fuerunt extraordinaria. De Iosua idem cõstat. Dauidem autem , licet Prophetam,nusquam tamen inueniemus vllam sacerdotalis muneris partem sibi arrogasse. Solomon templum ædificat, & sacerdotum ac Leuitarum vices ordinat, sed ore Prophetarum, vt & ipsius pater, edoctus. Idem concionem habet ad populum,Deum solennibus precibus inuocans vt ratum haberet opus quod peregerat. Scribit etiam libros insignis illius sapientiæ testes. Idem potestate ἀϖϖφατρεικῇ de qua diximus, pontificatum Abiatharo læsæ maiestatis reo abrogat: sed sacerdotio sese nusquam immiscet. Iosaphat collapsam vtramque politiam instaurat , cuius exemplum sequutus est Ezechias ac deinde Iosias.Sed neque Saulem non expectato Samuele sacrificantem , neque Vsiam lepra percussum imitatur.Et quis hodie Principes quamplurimos tales non optet diuinitus excitari ? Et de distinctis quidé docendi,& offerendi muneribus hactenus dictum esto. 2.Chron.29. 25.

Ad iudicia verò merè Ecclesiastica & à ciuilibus distincta quòd attinet,erant in singulis ciuitatibus,prout aliæ aliis præstabant, constituti iudices ex præcipuis ciuibus ἀρχοντες plurimis Euangelicæ historiæ locis vocati, qui causas ciuiles decíderent,etiam capitales,si de iure & facto cõstaret.Erant quoque Leuitæ in synagogis, penes quos, adhibitis, vt probabile est,aliquibus illustribus ciuibus,erat spiritualis administratio. Hinc illa ἀρχισωναγωγῶν mentio, qui conuentus regebant, cuius ordinis duplex habemus exemplum, vnum Luc.2.46. Hierosolymis,vbi multæ erant synagogæ,Act.6.9.alterum, Act.13.15. Deut.1.15.& 11.18.& 19. 12. & 21.2. Ruth.4.1. 1 Reg. 21.12 Act.15.21.

Antiochiæ Pisidiæ: & horum proculdubio partes fuerunt ad synagogas non admittere, quos Hierosolymitanum συνέδριον ἀποσυναγώγους iudicasset, irrita alioquin ista proscriptione futura. Vocat etiam Christus istos cõfessus χρίσεις, tum ciuiles quidem Matth. 5. 22. vbi de iniuriarum ciuili persecutione agitur: tum sacros, Matth. 10. 19. & 23. 34: qui tamẽ, sacerdotibus, post Asmoneorum præsertim tempora, omnem potestatem, (vt etiam factum in Ecclesia Christiana videmus) ad se pertrahentibus, siue iure, siue iniuria non tantùm verberandi, vt in Apostolis Act. 5. 50. sed etiam occidendi: ius sensim vsurparunt: sed vel per tumultum, vt accidit in Stephano, Act. 7. 58. quod prædixit Christus, Matth 23. 34. vel per insidias, vt in Paulum erant machinati, Act. 23. 21. quum illum antea vi aperta trucidare non potuissent, Act. 21. 31. Nec aliter fuit cæsus, teste Iosepho, Iacobus frater Domini. Fuisse verò initio per Mosen distinctos istos confessus, neque merè sacra ciuilibus permixta, illud quoq; manifestè declarat, quod ciuilia quidẽ illa iudicia apud ciuitatũ portas, sacra verò in synagogis exercebãtur.

Inter illa verò per ciuitates cõstituta iudicia, eminebant synedria ad quæ de rebus grauissimis referebatur. Duo enim fuisse initio, auctore Deo, per Mosen constituta (quorum tandẽ sedes fuit Hierosolymis, donec ista quoq; in vnũ, per sacerdotũ ambitionem & auaritiam, licet Romanis, quòd ad capitales animaduersiones attinet, obsistentibus, conflarentur) ex eo puto satis supérq; constare, quòd Moses tribunal quidem suũ, id est ciuile, ex septuaginta ex populo sibi adiunctis constituit: Aaronicũ verò, (sicut plenissimè in historia Iosaphati legitur, 2. Paral. 19. 8. Mosis proculdubio præscriptum sequuti) constare voluit, partim ex iis qui COHANIM Hebraicè, in Euãgelio verò ἀρχιερεῖς vocantur, partim ex Leuitis, partim ex capitibus patrũ, id est præcipuę inter populum auctoritatis ciuibus, compositũ: quorũ ex numero fuit Iosephus ille Arimathęensis à Luca βουλευτὴς appellatus, Luc. 23. 50. ab iis diuersi & iurisdictione distincti, qui adiuncto cognomento, Seniores Populi, id est Plebeij, in Euangelio dicuntur: quum illos AVOTENV, id est, patres nostros appellarent, quos Euangelistę πρεσβυτέρους absolutè passim vocant, & interdum Scribis accensent. Scribarum enim rursus non vnum genus fuisse ex variis historiæ Euangelicæ locis colligitur, quum eorum alij fuerint, & in synedrio Ecclesiastico, & in synagogis νομοδιδάσκαλοι, & γραμματεῖς: alij verò, vt modò

dò diximus,ex ciuili synedrio. Vt ad rem redeam,duo fuisse sy- Num.11.16.
nedria à Mose constituta, inde quoque constat,quòd non vno & deinceps.
& eodem tempore fuit vtrumq; institutum: & quòd iudicium quidem ciuilium numerus editur septuagenarius, videlicet extra Mosen,in cuius locum succes sêre primùm Iudices, prout à Deo extra ordinem excitabantur, ac tandem etiam Reges. Synedrij verò Ecclesiastici numerus non editur: sed eorũ iurisdictio manifestissimis verbis ab illa ciuili discernitur. Dicuntur enim constituti vt discrimen ostendant inter sanctum Leuit.10.10.
& prophanum:inter mundum & immundum:& vt doceant filios Israel omnia statuta quæ loquutus est Dominus ad eos per manum Mosis. Dico verò his paucis verbis declarari quæcumque tunc erant verè φυσμαπκὰ, nempe, inter sanctum & prophanum: inter mundum & immundum discernere, & legem Domini docere, ac proinde iudicare de controuersiis ob eas causas exortis. Quoniam verò legum quoque ciuilium in Deut.17.8.
Mosis libris perscriptarum tabulę penes Leuiticam tribum erant,idcirco alio loco Moses longiùs progressus,vult Sacerdotum quoque iurisdictionis esse difficilium ciuilium controuersiarum decisionẽ ex Dei verbo petendã: quoties nimirum de legis ciuilis interpretatione inter iudices non satis constabat.

Fit igitur alio illo loco apud Mosen,sanguinis quoq; & sanguinis, causæ & causæ, plagæ & plagæ mentio: ex quibus nequis colligat permixtas fuisse iurisdictionem ciuilem & Ecclesiasticam, quoniam illæ controuersiæ natura sua sunt ciuiles, obseruandum est,quum tale quidpiam incidisset,non de facto, (id enim merè ciuile fuit) sed de iure controuerso Ecclesiasticum Synedrium ex tabulis sacris (vt olim iurisconsulti apud Romanos)respondisse: Iudicem verò,id est,eum qui ciuili Synedrio præerat,qualis fuit Zabadias Regis Iosaphati nomine, ad quod demum erat ab inferioribus prouocatio, prout de iure responsum à pontifice & ipsius Synedrio fuisset de facto iudicasse. Iudicis enim ciuilis & Pontificis,duo fuisse diuersa synedria paulò antè ex eodem Mose ostendimus. Hoc igitur loco,tum Pontificem, tum Iudicem adiri vult Moses, qui verbum iudicij proferant: sed priorem cum suis assessoribus Pon- Deut.17.12.
tificem,*vt*,inquit, *verbum legis doceant*, id est, de iure respondeant ex lege: Iudicem autem (i. in Ciuili Synedrio ἀρχιερῶτα) posteriore loco,qui iudicium ipsum dicat,id est,de controuersia ipsa ciuili pronuntiet, cui sententiæ citra prouocationem

parendum erat. Ideo etiam Ioſaphat ex Moſis præſcripto proculdubio, adminiſtrationem ciuilem & Eccleſiaſticam collapſas inſtaurans, ſeorſum Iudicibus quibuſdam de ſuo munere commonefactis, committit diiudicandas cauſas iudicij, id eſt, de quibus litigari inter actores & reos ſoler, quæ etiam vocat NEGOTIVM REGIS, iiſque nomine ſuo præficit Zebadiam quendam ex principibus domus Iuda: & ſeorſum rurſus Eccleſiaſticum conſeſſum (ex illis quos dixi, nempe delectis principibus ſacerdotum, & viris auctoritate ac pietate inter Tribus præditis, quos idcirco ἀρχισυνάγωγους vocabant, compoſitum) iubet eadem illa tractare: quæ dixerat Moſes, ſed πνευματικῶς non πολιτικῶς, ſicut diſtincta erant hæc tribunalia. *Quæcunque*, inquit, *cauſa venerit ad vos de fratribus veſtris habitantibus in ciuitatibus ſuis, inter ſanguinem & ſanguinem, inter legem & præceptum, inter ſtatuta & iudicia*, (nempe quando vt eſt apud Moſen) de iure inter ipſos ciuiles iudices inferiores non potuerat conſtare. Erant autem etiã Iudiciales leges in ſcriptis Moſis comprehenſæ) *monebitis eos, vt non delinquant contra Dominum, & veniat ira eius ſuper vos, & ſuper fratres veſtros, ſic facietis & non peccabitis.* Itaque non in diiudicandis ciuiliter inter actores & reos controuerſiis, ſed in cuiuſque conſcientia erudienda & ædificanda, poſitum erat propriè Eccleſiaſtici Synedrij munus. Eò vſque verò σωιδρίου aduerſus grauiorum offendiculorum reos fuiſſe progreſſos, vt primùm quidem NIDDVI, deinde CHEREM, poſtremò SCHAMMATHA in eos pronuntiarent, ex verbo Dei, & puris quoque Iudæorum traditionibus, ſuo loco oſtendimus. Addit poſtea denique Ioſaphat, *& ecce Amaria ſacerdos ſummus ſuper vos, & ſuper fratres veſtros eſt in negotio Domini: & Zebadias filius Iiſmaelis, princeps ex domo Iuda, eſt ſuper* NEGOTIA REGIS: quibus verbis ciuilia negotia quorum caput rex erat, à merè ſpiritualibus, quorum caput erat Pontifex maximus, & vtriuſq; Synedria manifeſtiſſimè diſtinguuntur. Subiicit denique Soſaphat. Sunt & Leuitæ Soterim ante vos. Hi erant nimirum qui oppidatim erant conſtituti, vt & ciuiles magiſtratus, ne quiuis vel ob Eccleſiaſtica, vel ob ciuilia quæuis, adire ſumma illa duo Synedria ſemper cogerentur. Hanc igitur fuiſſe diſtinctorum duorũ Synedriorum formam apud Iudæos, donec varia rerum viciſſitudine, & quorundam largitionibus omnia peſſum irent, ex illis planiſſimis, vt nobis quidem videtur, teſtimoniis affirmamus: neque ambigimus,

quin

quin Christus ad veram illam institutionem Ecclesiastici Synedrii respexerit. Quòd igitur penes Synedrium Ecclesiasticũ exist imat D. Erastus ex iure diuino fuisse Forensium quoque controuersiarum cognitionem, prorsus non rectè dici existimo, nedum vt penes illud, capitalia Iudicia fuerint, nisi rebus Iudaicis iam confusis, &, vt doctrina ipsa, sic etiam disciplina legis valdè depraua ta: quod etiam aliis præterea rationibus ac testimoniis confirmare difficilè non fuerit. Certè quum Ieremiam, vt blasphemiæ, capitalis videlicet criminis, reũ ageret Phassur Pontifex cum suis collegis, non sedit Iudex ne in imis quidem subselliis, sed accusatorem agit apud Ciuiles, ac regios magistratus, corona populi circunstante: & Ieremias ab Ahicamo, qui Regis nomine Synedrio præerat, absoluitur. *Vnde igitur* (inquit D. Erastus) *Caiaphæ & eius collegarum in Christum potestas:* nẽpe partim hæ reliquiæ erant eius confusionis, quæ quum à Machabæis cœpisset, non potuit statim ne ab Herode quidem aboleri. Romani verò postea redacta in prouinciã Iudæa, quum alioqui diuina Iudæorum iura nihili facerent, facilè concesserant Iudæis αὐτονομίαν: sed in iis demum, quę ad ipsorum ritus spectabant: in quibus & prehensionem, & leuem coercitionem, vt & alibi municipales multos magistratus, habuisse nõ negamus. Sed an ex verbo Dei licuerit duo Synedria & duas Iurisdictiones confundere: an etiam capitalia iudicia exercere Pontifici, & ipsius collegiis fas fuerit: an denique Christus eiusmodi transgressionem approbarit, hoc illud est, de quo quærimus, & quid nobis ea de re videatur, paulò antè diximus. Cæterùm etsi non magnoperè ad rem pertinet quæstio, an capitalia Iudicia temporibus Christi penes illud Synedrium fuerint, quod respexit Dominus, quum diceret, Die Ecclesiæ, tamen quandoquidem malam causam hic quoq; tueri mihi quidem D. Erastus, & alij nonnulli videntur, ne hanc quidem scripti ipsius partem intactam omittemus.

Refutatio argumentorum D. Erasti pro ciuili iurisdictione Synedrij Iudaici, quod vnicum fuisse contendit.

Refut. 1. Ierem. 26.

Obiectio D. Erasti.

Refut. 1.

Certè vniuersam stantis imperij Romani historiam euoluens, inuenio, præsides prouinciarum tum de controuersiis priuatis, tum de criminibus publicis ius dixisse prouincialibus, iis exceptis qui immunitate aut libertate essent donati, aut etiam amicorum loco habiti. Nec obstat quod αὐτονομίαν Iudæi impetrarunt, cuius aliquot rescripta profert Iosephus. Fuit enim illa certis finibus descripta, quum immunitas non fuerit eis concessa. Fuit autem illis hoc datum, vt in sua religione

Refut. 2. Capitalia iudicia penes Iudæorum ciuile Synedrium non fuisse.

permanerent: suos haberent Pontifices & Seniores qui exortas de suis ritibus controuersias inter se deciderent, ciuilia fortassis etiam quædam leuioris momenti iudicia, quantum ferre poterat Cæsaris auctoritas, exercerent: sed & in eos qui religionis iura violasse dicerentur, leuioré animaduersionem haberent, vt Matth 12,17. & 23,34. & Act.5, 40. & 2. Cor.11,24. Gladij verò ius illos Christi vel alio post vllo tempore, id est, de grauioribus sceleribus iudicandi potestatem habuisse, pernego. Itaque quòd de blasphemia ageretur, Christum prehendunt, vinciunt, in eum inquirunt, blasphemię damnant, secundùm legem. Cur igitur non occidunt, quum nihil magis cuperent? certè quòd gladij potestatem non haberent. Imò (inquit D. Eraſtus ex Chrysostomo) quòd crucifigere ipsis non licebat. At vnde tandem hoc probabitur? Dicuntur enim septem filij Saul fixi à Gibeonitis: & ne longiùs abeamus, nisi nomine suspensionis ex stipite intelligatur etiam crucifixio, non impletum fuerit illud in Christo: Execrabilis qui pendet in ligno, quod testimonium tamen Christo sic applicat Paulus, vt inde quoque vt speciali nota, colligat factum esse. Christum execrationem pro nobis. Deinde cui tandem satis attento persuadebitur, Iudæos vsque adeò non tantùm necandi, sed etiam crucifigendi Christi desiderio exarsisse, vt & sui & suarum immunitatum, & odij quo Romanos persequebantur oblíti, Christum mallent Pilato, non sine incerti euentus periculo tradere, quàm vel lapidare, vel suspendere, vel etiam viuum vstulare, si hoc fuisset in ipsorum potestate? *At* (inquit) *facit eis potestatem Pilatus Christi ex Lege iudicandi, quod proculdubio non fecit, vt eis nouum ius aliquod tribuat.* Esto. Nec enim hoc fuit in Pilati sed in Cæsaris potestate. Et hoc ipsum est quod Iudæi intelligentes, Pilatum videlicet ita loquentem capitale iudicium ipsis concedere, nec velle, nec posse, quo nihil fuisset Iudæis optatius: sed hoc tantum, vt, prout ferebat *αὐτονομία* ipsis concessa, cum Christo agerent ex lege, neluisse in eo quod ipsis dicebatur acquiescere, quia interfectum Iesum cupiebant, quod ipsis Lege quidem licebat, sed à Romanis non concedebatur. Nam illud *Et crucifigite*, non sine *σαρκασμῷ* dictum esse liquet, ex eo, quòd alioqui obtinuissent Iudæi, quod vnum petebant. Itaque quum quid sibi vellet Pilatus minimè ignorarent Iudæi, & Christum necare omnino statuissent, appositè respõdent. Reum quidem esse mortis secundùm Legem, sed sibi per ipsum

ipsum Pilatũ non licere in his rebus exequi quod lex præcipiebat. Et hoc etiam Iudæos satis cognouisse, apparet ex eo quòd satis intelligentes blasphemiæ aduersus Legẽ perpetratæ, etiam si probata fuisset, non magnam habiturum fuisse rationem Pilatum, læsæ Cęsaris Maiestatis nouum postea crimen Christo impingunt: cuius demum damnationem, omissa priore accusatione, à Pilato impetrant. Nam quis non videt alioqui Iudęos, quum Pilatum viderent omnes liberandi Christi occasiones quęrere, tunc saltem cupidissimè fuisse id quod ipsis offerebat accepturos? Quod ergo scribit Ioannes, sic impletũ esse quod dixerat Iesus, significans qua morte moriturus esset, non est duntaxat ad ipsum supplicij genus referendum, sed in genere ad id quod dixerat Christus, fore videlicet, vt traderetur gentibus, à quibus demum esset damnandus ac crucifigendus. Quòd si de seditionis quoque crimine cognoscere ipsis licuisset, cur Barrabbam à Pilato passi fuissent vinciri, & cur non pleno iure sibi restitui postulassent? Sed & illud quod dicunt Iudæi aduersus Paulum Act. 24, 6. sibi propositum fuisse de illo secundum legem statuere, non esse de capitali pœna accipiendum, apparet ex eo quòd si hoc ipsis iure licuisset, nihil opus fuisset illos de ipso per insidias interficiendo cogitare, sed hoc vnum petere vt sibi dederetur. Act. 23, 15. Refut. 3.

Profert præterea D. Erastus, Stephani lapidationem, *& falsum esse dicit, quod affirmamus, occisum videlicet fuisse Stephanum per tumultum, quum ex historia contrarium cuiuis appareat.* Atqui in historia inuenimus quidem adductum Stephanum ad Synedrium, ibíque à falsis testibus accusatum, causam dicere cœpisse, sententias verò ne rogatas quidem, nedum dictas fuisse inuenimus, nec ore iudicis damnatum fuisse legimus: sed quum nondum peroraſſet frendere cœpisse dentibus, factum in eum impetum, eiectum denique, non iudiciorum more, extra vrbem, & ibidem lapidatum legimus. An hoc verò iudicare est, ac non potiùs furere? Obiect. 2. D. Erasti. Resp.

Citat etiam, D. Erastus, *Sauli immanitatem, tum viros tu fœminas in carcerem, acceptis etiam à Pontifice literis ad Synagogas, pertrahentis.* Neque nos verò negamus, prehensionem ac modicam quoque coercitionem in causa religionis habuisse Summum Pontificem, ipsásque adeò Synagogas: sed ex licentia, & vtriusque vt diximus iurisdictionis perturbatione, quam Christus (disertissimè postea in Ecclesia Christiana vnam ab altera sic Obiect. 3. D. Erasti. Resp. 1.

Resp.2. Act.26.10. distinguens, vt etiam seperet) nunquam approbauit. Vrgere tamen illud videri posset, quod de seipso Paulus fatetur, sese non tantùm carceribus multos sanctos inclusisse, sed addit, κὴ ἀναιρεμένων αὐτῶν κατῆνεγκα ψῆφον, id est, & quum interficerentur suffragium tuli: ex quo videri posset, rogatas etiam ac dictas fuisse in Synedrio de reorum capite sententias. Sed ipsa Pauli historia manifestè probat, κατενεγκεῖν ψῆφον ibi in genere pro assentiri & comprobare interpretandum esse: ac nonnullos per id tempus præter Stephanum impunè cæsos præter ius & fas fuisse: vt hodie in Anarchia Gallica, non inferioribus tantùm iudicibus, sed etiam quiduis cuiuis in nos conceditur. Nam hoc ipsum quoque in Apostolos meditabantur nisi obstitisset Gamaliel, Act. 5.33. & sic tandem per tumultum cæsum fuisse à fullone quodam Iacobum fratrem Domini, constat. Ac ne quis id factum miretur, sciat multis etiam postea seculis, quantumlibet attritis Iudæis, frequentissimum nescio cuius Zelosi, quod vocabant, iudicij genus fuisse, adeò vt hanc rabiem frænari tandem Christianorum Imperatorum seuerissimis interdictis necesse fuerit. Sic enim Constantinus, Iudæis inquit, & maioribus eorum, & Patriarchis, volumus intimari, quòd si qui post hanc legem, aliquem qui eorum feralem sectam fugerit, & ad Dei cultum respexerit, saxis aut alio furoris genere, quod nunc fieri cognouimus, ausus fuerit attentare, mox flammis dedendus est, & cum omnibus suis participibus concremandus. Sed & ex iis quæ Gallio Iudæis Corinthiis in Paulum agentibus respondet, satis intelligitur potuisse illos quidem de rebus ad legales disceptationes pertinentibus, aliquid inter se statuere: de iniuriis vero etiam leuioribus, illic saltem oportuisse Præsidis Romani tribunal adiri: nec aliter etiam de ipsis ciuibus Ephesiis, nedũ inquilinis Iudæis, intelligi potest quod scriba ille refert, seditionem à Demetrio excitatam compescens, vbi ad Proconsulum tribunal eos reuocat.

L.1.C.de Iud.

Resp.3. Act.18.14.& 19.38.

Synedrio Ecclesiastico successisse Christianum presbyterium. Arg. 1. Synedrium Iudaicum cuiusmodi fuerit, & quæ fuerit eius iurisdictio, ex Dei verbo ostendimus. Nunc superest vt ei ex institutione Christi successisse presbyterium, quod Consistorium vocare apud nos mos est, ex eodem verbo Dei doceamus.

Hoc igitur nobis, vt speramus, vltro concedet D. Erastus, necessariam fuisse, initio nascentis etiam Ecclesiæ, & antequã Christianus esset magistratus, cognitionem de doctrina aduersus

uersus Pseudoprophetas, & de eorum offendiculis qui priuatis admonitionibus coerceri non possent. Quòd si etiã illos oportuit, vel ea qua vsus est aduersus Ananiam, & Sapphirã Petrus potestate occidi: vel precibus à Deo obtinere, vt quoquo modo ex hoc mundo tollerentur: quam Doctoris Erasti sententiam supra refutauimus, multò magis necessarium fuit cauere ne temerè istud fieret, ac proinde aliquam ordinarij iudicij formam, præmonendis saltem qui Satanæ tradendi erant, in Ecclesius constitui. In summa fuit opus idoneos aliquos delectos etiam ad ministrorum χειροτονίαν, ad constituenda Diaconorum & viduarum saltem collegia, & eiusmodi cætera, conuenire, vt omnia ritè & ordine in domo Dei administrarentur. At neque Synedrium Iudaicum, neq; ciuilis vllus magistratus tum id præstare potuit: & quum vetet Paulus coram infidelibus περὶ βιωτικῶν litigare, an eos vnquam censuisset περὶ τῶν πνευματικῶν adeundos? Aliquos igitur tales constitutos iam tum fuisse affirmamus, quoniam alioqui absurdissimum esset dicere Christi præceptum illud, *Dic Ecclesiæ*, non nisi trecentesimo post Christum anno & ampliùs vsurpari potuisse. Et quid multis? Quum, inquit, Apostolus, vobis in nomine Domini congregatis, item, Nónne de iis qui intus sunt iudicatis? fateri necesse est, cœtus aliquos ad illa diiudicanda, iam tum fuisse in Ecclesiis constitutos. 1.Cor.5.4.& 12.

Quînam autem isti iudices fuerint, & de quibus rebus cognouerint, age nunc expendamus. Aliud igitur munus istis fuisse demandatum quàm iis quos Paulus iubet Corinthi constitui, nequis cogatur coram infidelibus litigare, multis certis rationibus cõstare potest. Primùm enim res ipsa docet, oportuisse iam antea constitutum fuisse conuentum illum cuius negligentiã reprehéndit, & à quo vult illum incestuosum Satanæ tradi: quem cœtum manifestè Paulus alibi τριστρατήγιον appellat. At de illis priuatarum controuersiarum arbitris futuris dicit, καθίζατε Statuite, non ἐκαθίσατε statuistis. Deinde illi constituuntur ad res sacras, & merè Ecclesiasticas diiudicandas: isti, vt περὶ βιωτικῶν decernant. Illos præterea non nisi cum aliquo Corinthiorum probro à se constitui docens, ἐὰν βιωτικὰ κριτήρια ἔχητε, inquit: ac si diceret, Siquidem ita litigiosi esse pergitis vt carere istiusmodi iudiciis non possitis. Hos vero Ecclesiæ semper necessarios & singularia etiam eius fuisse ornamenta, negari non potest. Ratio 2. 1.Tim.4.14.

Denique

Denique vult ad illa βιωτικὰ κεκτήσεα deligi τὰς ἐξουθενημένας, id est, viliſſimos quoque, ac ſi carnalia illa indigna eſſent in quibus occuparetur quiſpiam melioribus rebus cogitandis & agendis idoneus : at iſtos oportuiſſe, & pietate, & excellentibus omnibus donis Spiritus excellere, res ipſa nos cogit confiteri.

Diaconos verò propriè ſic vocatos, minimè nobis laborandum eſt vt probemus alio diuerſo munere functos eſſe, quàm iſtos diſciplinæ Eccleſiaſticæ moderatores.

Supereſt vt videamus, num illud collegium fuerit eorũ cœtus duntaxat, qui verbo & precibus vacabant, an vero peculiaris quæpiam vocatio quorundam fuerit. Illud verò negari nõ poteſt, quin vel præcipuum ſit paſtorum munus, doctrinam aduerſus falſos doctores tueri, offendiculis publicis & priuatis mederi, arguere, monere, increpare, adeóque ligare & ſoluere, quum ſuis diſcipulis præſertim hoc ius tribuat Chriſtus, vel hoc onus potiùs imponat: & Apoſtolus ſeſe diſertè cum iudicibus illis Corinthiis coniungat, à quibus præcipit illum inceſtuoſum Satanæ tradi : imò alibi dicat, ſe Philetum & Hymenæum Satanæ tradidiſſe. Sciendum eſt igitur vix vllum eſſe nomen quo munus aliquod Eccleſiaſticum ſignificetur, quod
2.Cor.8.22. non interdum etiam generaliter accipiatur. Hinc factum eſt, vt & Apoſtolorum nomen iis etiam tribuatur, qui magis proprio nomine Euangeliſtæ dicuntur : & Paulus ſuum Apoſtolatum vocet διακονίαν : & presbyterum ſe nominet Petrus : &
Rom.11.13. 1.Pet.5.1. presbyteros Lucas appellet, qui poſtea Epiſcopi generaliter à Paulo dicuntur: quum tamen & re ipſa, & iiſdem ſpecialiter acceptis nominibus, diſtincta eſſe iſtorum munera nemo dubitare poſſit. Itaq; illud argumẽtum D. Eraſti, ex quo vult effici, nullos alios fuiſſe presbyteros, quàm qui verbum tractarẽt, quoniam iidem vocentur presbyteri, & epiſcopi, non eſt magis efficax, quàm ſi pariter concluderet, nullos fuiſſe alios presbyteros quàm Apoſtolos, quoniam & iſti interdum presbyteri dicuntur, quum tamen presbyteri manifeſtè ab Apoſtolis ſubinde diſtinguantur.

Ratio 3. variis teſtimoniis confirmata. Cæterùm quoſdam etiam fuiſſe Eccleſiaſticæ gubernationi præfectos, præter eos qui verbo & publicis precibus, & ſacramentorum adminiſtrationi præerant, quorum rurſus alij paſtores ſeu Prophetę, alij doctores peculiariter nominabantur, his argumentis probamus.

Primùm,

Primùm, apud Iudæos Ecclesiasticũ illud Synedrium, (quod manifestè approbauit Christus, & S. Spiritus instinctu postea sequuti sunt Apostoli, quatenus id quidem fieri potuit ac debuit, id est, quatenus sedebant super cathedram Mosis, id est, munere docendi & iudicandi, ita vt per Mosen Deus præceperat fungebantur:) sic erat (vt suo loco probauimus) constitutum, vt præter Leuitas & Sacerdotes, accenserentur electi ex tribubus, præcipuæ auctoritatis homines, qui passim etiam ZEKENIM Hebræis, Græcis πρεσβύτεροι, Latinis Seniores dicti sunt. Senatus enim & Senatorum nomen, vt ciuilibus dignitatibus conuenientius, & calumniæ obnoxium, videtur studio quodam vetus purior Ecclesia in Occidente repudiasse, vt & Græca ἀρχόντων, γερεσίας, βελῆς, & βελευτὴν nomina refugit. Et certè nisi ex totius cœtus corpore delecti aliqui sedeant in eo cœtu, à quo tota Ecclesia gubernatur, vix illi cœtui conueniet vniuersale Ecclesiæ nomen, quo tamen à Christo ipso exornatur: quòd videlicet ex singulis totius Ecclesiæ partibus delecti, totam Ecclesiam repræsentarent. Præterea hoc veluti fræno coercebatur, tum ipsorum pastorum, tum etiam populi potestas, ne illa quidem in Oligarchiam, ista verò in Ochlocratiam degeneraret. Itaque mihi quidem Ecclesia Christiana, vt & vetus illa Israelitica, ex illo triplici statu diuinissimè constituta videtur, cuius caput est & Monarcha longè supra omnia eminens vnicus ille noster Pontifex æternus, cuius figura fuit Leuiticus ille Pontifex: quique nunc ita est in cœlis, vt suo Spiritu adsit, & præsit cœtibus omnibus ipsius auctoritate cõstitutis. Isti verò cœtus diuinissimam Aristocratiam referunt. Vniuersa denique multitudo, qua conscia, & ex cuius consensu cœtus ipsi Aristocratici constituuntur, cœlestis Democratiæ perfectum exemplum præbet: cuius vniuersi ordinis custodes sunt, ac vindices in terris secundùm Deũ, Christiani Magistratus, per orbem terrarum distributi, vt olim in vetere populo post Mosen, Iudices: post Samuelem, Reges: quo luxato ac tandem euerso penitus ordine, partim ipsorum principum socordia, partim Sacerdotum auaritia & ambitione, abdicatus quidem est vetus ille populus iusto Dei iudicio: nunc verò Christiana Ecclesia iisdem prorsus malis laborans, quò redacta sit videmus.

Testimonium 1.

Test. 2.

Test. 3.

Præterea manifestè Paulus ad Romanos scribens, & perpetuas functiones Ecclesiasticas ordine pulcherrimo recensens, τὰς

Test. 4. Rom 12.6.

τὰς προεστῶτας, id est, eos qui præsunt, ab iis qui docent, qui exhortantur, qui distribuunt, qui miserétur, id est, à doctoribus, à pastoribus, à duplici denique Diaconorum ordine, distinguit.

Test. 5. Idem ad Corinthios scribens, & eadem illas functiones & dona iis exercendis necessaria, copiosiùs tamen enumerans, (comprehensis etiam iis nimirum, quæ ad tempus in Ecclesia viguerunt) χωρισμοὺς manifestè à cæteris discernit.

Test. 6. Idem in persona Timothei, de Ecclesiasticæ διατάξεως, legitimo vsu diuinissimè differens, Qui benè præsunt presbyteri (inquit) duplici honore, id est, subsidio digni sunt, maximè verò οἱ κοπιῶντες ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ, id est, qui in sermone & doctrina laborant, quibus verbis presbyteri, qui prædicationi & docendo populo vacant, ab aliis itidem presbyteris manifestissimè discernuntur. Quia tamen hunc etiam locũ nobis conatur D. Erastus extorquere, age quid contrà opponat expẽdamus. Τὸ κοπιᾶν, inquit, ampliùs quiddam significat, quàm rei cuipiam vacare. Itaque eos intelligit Apostolus cæteris præferendos, qui fortiter & strenuè prę reliquis laborant, vt siquis dicat, Omnibus pastoribus benè cupio, illis præsertim, qui cum zelo & diligentia suas Ecclesias pascunt. Atqui vt τὸ κοπιᾶν hanc emphasin esse fateamur, & quidẽ hoc loco minimè negligendam, quis tamen satis attentus non videat, si hæc expositio valeat, id est, si omnium presbyterorum munus erat Verbo & doctrinæ vacare, superuacaneum fuisse totum illud ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ, pòst τὰς κοπιῶντας adiicere? Quis enim sic loquatur? Omnibus qui verbum Dei docent benè cupio, illis præsertim qui diligenter verbum Dei docent: ac non sic potiùs, Omnibus qui verbum Dei docent benè cupio, iis præsertim, qui diligenter docent. Quòd siquis sic loquatur, Omnibus doctoribus benè cupio, iis præsertim, qui sunt diligentes verbi Dei doctores, quis non statim intelligat, verbi Dei doctores, modò seduli sint, quarumuis aliarum rerum doctoribus anteponi? Itaque planè vanam & inanem esse illam obiectionem ipsemet D. Erastus iam, vt speramus, fatebitur.

Obiect. 1.

Resp.

Obiectio 2. D. Erasti. Plus habet coloris & magis etiam in nos inuidiosè dicitur aliud, quod in medium affertur. *Nam difficilè est*, inquit D. Erastus, *intelligere quomodo in vno corpore duo sint capita, id est, duo magistratus, qui ius habeant puniendi, & dominatum aliquem exercendi in subiectos. Nam excommunicatio est in Ecclesia, id quod est in Politia exilium. Proinde imperant etiam seniores illi, pœnásque externas*

cum

cum potestate & dominatu sic infligunt, vt magistratus subditis errantibus infligere solet. Alia est ratio exhortationis, institutionis, admonitionis, increpationis, quæ verbis fiunt, nulla coactione adhibita, & alia est ratio externæ potestatis & coactionis. At ego quæro, bicépsne fuerit Israeliticus populus sub Mose, sub Iudicibus, sub Regibus, ac in primis sub pio & sancto rege Iosaphato, quum vnus quidem regis, alter verò Domini negotiis distinctè præesset, & ita quidem præesset, vt sicut in rebus ciuilibus, atq; adeò in religionis statu conseruando, Pontificem Maximum Regi, secundùm Deum subiici oportebat, ita etiam vicissim Rex ipse, verbo Domini per Pontificem Maximum loquentis, subiiceretur. Si bicipitem fuisse fortasse respondeatur, quæram cur eadem cõditio nunc iniqua censenda videatur. Sin verò, quod potiùs, arbitror, dixerit D. Erastus, non fuisse tamen propterea bicipitem, quæram, cur nunc potiùs quàm olim sit biceps futura Ecclesia Christiana, si eadem distinctio seruetur, quum præsertim nullum iam summum pontificem habeamus in terris, nisi in Spiritu, sed eius duntaxat ministros. Hic verò respondet, *non eandem seruari à nobis distinctionem, sed aliam prorsus inuehi, quoniam Leuiticus pontifex, verbis solummodo agebat, nostri autem Seniores vtuntur etiam externa potestate & coactione.* At ego antea ostendi iudicia de mundis & immundis penes Synedrium Ecclesiasticum fuisse, ac proinde ad eius auctoritatem esse referendam eorum eiectionem, qui quum essent polluti, tamen non facta expiatione, sacrarium ingrediebantur. Et quid multis? quum Azarias octoginta sacerdotibus stipatus, Vziæ regi diceret, Egredere de sanctuario, quia transgressus es, & hoc non est tibi pro gloria à Domino Deo, an peccabat Vzias, ac non potiùs, vt heroico spiritu præditus, munere suo fungebatur? Hoc enim ritè omninò factum fuisse, quum Vzias non modò non pareret, verùm etiam indignari cœpisset, Dominus immissa regi contumaci lepra, satis supérque testatus est. *At Dauidem,* inquit D. Erastus, *licet homicidio voluntario & adulterio pollutum non excommunicauit Nathan.* Concedo. Quo enim iure hoc faceret, qui neque hac potestate ordinaria præditus erat, neque vllam ad hoc agendum facultatem extra ordinem à Deo haberet? Dauidem verò, vt immundis præscriptum erat, à sacrificiis, vsque dum expiaretur, abstinuisse, ex illa tam illustri ipsius confessione manifestè liquet. Ista verò regiæ potestati non magis derogant, quàm regia potestas regno Christi quicquam

Resp. 1.

Obiectio D. Erasti.

Resp. 2.

Resp. 3.

Psal. 51. 18.

cap. 21.

Resp.4. quicquã detrahit. Tantùm distinctæ sunt istæ potestates, quarum vna, nempe politica, ἁπλῶς considerata, supra omnes quidẽ in terris eminet, ideóque nullum in terris habet caput cui subsit: Ecclesiastica verò, reale quiddam est potiùs quàm personale, & diuinum quiddam non humanum: pendens videlicet tota ab eius mandato, cui pater omne iudicium attribuit, & qui, vt æternum & vnicum Ecclesiæ caput, è cœlis per suos legatos exequitur, quod verbo suo edixit. Deinde in Ecclesiasticis pœnis nullo alio organo quicquam agitur quàm voce, neq; hoc agitur vt violenta coactione aliquid fiat: sed duntaxat quod iniustè petitur, iustè denegatur, vt iustè postea petatur: atque adeò tantùm abest, vt ab inuito aliquid extorqueatur, vt contrà nulla resipiscentia, nisi spontaneam esse constiterit, recipiatur. Quòd si quid vel magistratus ciuilis de spirituali Christi regno deliberit, vel Ecclesiarum ministri de potestate ciuili decerpserint, tum demum duo esse vel ciuilia, vel Ecclesiastica capita rectè dixerit D. Erastus, quòd planè monstrosum esse fatemur.

Resp.5.

Obiect. 3. D Erasti. Resp. Quòd si quis obiiciat piorum Regum exemplum, qui Ecclesias constituerunt: iam anteà respondimus aliud esse efficere, vt Christi regno, id est sacro Euangelico ministerio sit locus, (quod sanctorum Regum vel Principum munus est) quàm absque vocatione (Christus autem ciuilem potestatem ab Ecclesiæ ministerio disertè seiunxit) ipsum Christi regnum administrare, quod quisquis facere aggressus est, vltricem Dei manum est expertus: Christum autem Ecclesiasticam gubernationem à Ciuili, suo vnius verbo ita distinxisse vt etiam vnam ab altera segregarit, apparet ex his ipsius verbis, Regnum meum non est ex hoc mundo, adeò vt nunquam sese τῇ βιωτικῇ administrationi immiscuerit: nedum vt vel Magistratibus, vel pastoribus, vtrumque quem vocant gladium attribuerit: etiam si D. Erasto concederem Synedrium olim vtrunque illum sub Lege gestasse.

Obiect. 4. D. Erasti. Rursum si quis in alteram partem obiiciat, arbitros illos Corinthi ad decidendas priuatas controuersias fortasse constitutos, (fortassis enim Corinthios potiùs puduit tam esse litigiosos, vt istiusmodi κριτηρίοις indigerent) aut Ananiam & Sapphiram ad Petri vocem interemptos, vel Elymam à Paulo excæcatum, vt inde efficiat nescio quid ciuilis iuris tunc saltem licere ministris Ecclesiæ exercere, quum deest Christiani magistratus

gistratus subsidium. Respondemus illos Corinthios non vt Iudices sedisse, aut vllo modo iurisdictionem ciuilem exercuisse, sed arbitros fuisse ac domesticos διαιτητὰς, qui nihil ex Imperio agerent, verùm amicè cognitas controuersias, siquidem litigantibus ita videretur, componerent, quod facere nullæ iustæ leges vetant. Petrus verò & Paulus diuinitus, & extraordinaria non modò potestate, verùm etiam forma, egerunt quod egerunt: adeò quidem, vt si hodie in terris eiusmodi causæ apud Christianos magistratus agitarentur, capitalia eiusmodi crimina vix fuerint iudicaturi. Causa igitur nulla tum fuit, cur Magistratus sibi factam iniuriam diceret, quum hanc esse Dei manum palàm, modísque omnibus constaret: ac ne nunc quidem causa fuerit, cur ista in exemplum trahantur ab iis qui pastores Ecclesiarum haberi volunt, nisi fortè se ostendant Apostolico extraordinario spiritu præditos, quod viderint quînam faciant. Resp.

Vnum adhuc nobis supererat explicandum, vt D. Erasti scripto respondeamus, num videlicet istud presbyterium quod & Mosis & Christi, & Apostolorum testimonio fuisse institutum docuimus, eam habuerit & exercuerit potestatẽ, de qua nunc contendimus. Nam hoc quoq; ille negat, vt potestatem istam tradendi Satanæ, id est, (vt ipse vult) per Satanam ad necem etiam vsque excruciandi, solis Apostolis concessam fuisse probet, quandiu Christianum magistratum Ecclesia non habuit: cui potestati proinde nullus nunc sit locus, vbi Christianus cõtigit magistratus. Ego verò Satanicas istas excruciationes, ac multò magis interfectiones, (si quæ fuerunt) prorsus extraordinarias, & rarissimas fuisse, ac nullo modo in exemplum trahendas dico: atque adeò ne quærendum quidem de istis arbitror. Sed istud Tradere Satanæ, & Tollere ex Ecclesia, quicquid tandem sit (quid sit autem putamus nos ostendisse) affirmamus ad presbyterium, id est, ad seniorum collegium pertinuisse. Penes presbyterium fuisse excommunicationis potestatem.

At D. Erastus contrà, *Comminatur*, inquit, *Apostolus sese cum authoritate & cum virga venturum, & dicit sibi in promptu esse, quo contumaciam omnem vlciscatur: istius autem Seniorum collegij non meminit. Ergo fuit hæc Apostolis propria potestas.* Ego verò quæro annon, mortuis Apostolis, saltem antequam Christo collum subdidissent principes, eadem illa potestas seu virga fuerit Ecclesiæ æquè necessaria. Quero & illud, ad quosnam fuerit transla- Obiectio 1. 1. Cor. 4. 21. Resp. 1. Resp. 2.

ta

ta si non ad Ecclesiarum gubernatores ex ipsorum præscripto
Resp.3. constitutos. Cæterùm cur eo loco non meminerit illius collegij Apostolus, causa manifesta est: quoniam videlicet illi ipsi collegio præcipuè, vtpotè quod suo officio non fungebatur, minatur Apostolus: nec tamen dubitamus, quin Apostolo-
1.Cor.3.9.& 21. rum authoritas quædam esset primaria supra omne Ecclesiasticum ministerium, vt qui essent ad illud ipsum ordinandum, atque perpetuum in Ecclesiis statuendum ordinem, à Christo delecti.

Obiect.2. *At enim* (excipit D.Erastus) *idem Apostolus dicit se tradidisse*
1.Tim.1.20. *Alexandrum & Hymenæum Satanæ, neq; vel Ecclesiæ, vel listius presbyterij, aut gubernationis alicuius, sed sui vnius & Apostolicæ suæ po-*
Resp.1. *testatis meminit.* Esto, fecerit hoc Apostolus, vt Apostolus, peculiari quodam sancti Spiritus instinctu. Quid inde consequitur? An enim quod Paulus extra ordinem Deo mandante fecerit, non potuerit vel ille ipse, vel alius quispiam ordine facere? An autem id solus & semper fecerit, agedum videamus.

Resp.2. Agens idem Apostolus de incestuoso illo Corinthio, *Iudicaui*, inquit, *vt Satanæ tradatur.* Ergo quin hoc Paulus Apostolico quodam iure, etiam absens in absentem Spiritu sancto videlicet non parcè præditus, decernere, atque adeò exequi potuerit non ambigimus. Sed cur iubet cæteros etiam, presbyterium videlicet Corinthiacum, in nomine Dei congregari? an vt velut auctarium quoddam accederet Corinthiorum præsentia & consensus? Hoc quidem, fatemur, palàm declarare Apostolum, hanc causam à se integram non reiici ad Corinthiorum presbyterium, sed potiùs illis præscribi decretum, à quo ipsis recedere temerè non liceat, temerè, inquam. Nam antea ostendi Corinthios, animadversa incestuosi resipiscentia, cõtentos fuisse increpatione siue censura à pluribus (nempe à presbyterio) facta: donec Apostoli sententiam rursum intelligerent. Hoc inquã fateor, sed nisi Corinthiis, ante scriptas vel acceptas etiam Apostoli literas sententia licuisset, ex illa ordinaria presbyterij potestate, illud idem statuere & exequi, id est, incestuosum illum Satanæ tradere. (nam antea idem esse voluit D.Erastus Satanæ tradere, & tollere è medio
Resp.3. sui (cur illos obiurgaret, quòd id non pridem fecissent? cur vt hoc facerent iuberet? cur de hac ipsa re, id est, de falsò nominatis fratribus, qui tamen manifestè flagitiosæ vitæ essent, à priuato etiam conuictu arcendis agens, & quidem occulta

Dei

Dei iudicia à manifestis & ordinariis distinguens, disertè scriberet, Annō de iis qui intus sunt iudicatis? Cur etiam illos eosdem vitari, & cum illis non haberi cōmercium, cur eos σημειοῦσθαι præciperet? nec enim ista aliter fieri potuerunt, quā certo quopiam ordine seruato: eo ipso videlicet, quē ad illius veri Iudaici synedrij exemplar, ex Christi mandato statuerant Apostoli: nisi fortè velimus aliquos semper Apostolos præstò fuisse, qui iudicia illa exercerent: & Apostolis mortuis, statim desiisse. Resp. 4.

Summa verò istius disceptationis hæc est, fuisse quidē presbyteros generali nomine vocatos, vt & episcopos & diaconos, quicunq; in Ecclesia Christiana munere quopiā fungerentur: sed angustioré præterea fuisse presbyterorū quorundam functionem, eorū videlicet qui ecclesiasticis siue spiritualibus iudiciis, vnà cum pastoribus præerant, quorū etiam cœtus, ei planè synedrio respondens, quod Christus ecclesiam, iam tū mutato Synagogæ vel Synedrij nomine, appellarat, Paulus πρεσβυτήριον nominauit: penes quem fuit huius quam defendimus Ecclesiasticæ disciplinæ ex verbo Dei exercendæ potestas.

Postrema huius scriptionis parte dicemus etiam nonnihil de excommunicationis vsu, nam alioquin multò pleniorem tractationem vel hæc res sola requireret.

Primùm ergo, siquis roget, an prorsus & simpliciter necessariam esse putemus huius disciplinę totius in Ecclesiis omnibus instaurationem: respondemus ex iis quæ in Ecclesia Christiana requirūtur, vt partibus suis omnibus constet, solam doctrinam videri nobis absolutè & sine vlla exceptione necessariā. Doctrinā verò appellamus, id quod nobis de Deo credendum ad salutē in ipsius verbo traditur. Sacramentorum autē vsus, quamuis scienter & contemptu omitti absque grauissimo scelere, ac tandem etiam, nisi quis seriò resipiscat, absque æternæ damnationis culpa non possit: tamen non est ita necessarius, quin siquis nulla sua culpa externo illorū vsu priuetur, seruari tamen absque iis possit: idque arbitramur non in singularibus personis duntaxat, verùm etiam in Ecclesia ipsa tota locū habere, sicut olim in deserto peregrinantes circuncisione necessariò caruerunt, & in Babylone, nec templum neque sacrificia habuerunt, qui nihilo minùs esse populus Dei nō destiterunt. Idē verò multò magis de disciplina Ecclesiastica dici potest: videlicet Ecclesias, vt illa careant, tamen ecclesias verè pias & Christianas esse posse, si doctrinam præcipuorum dogmatum Quatenus sit necessarius excommunicationis vsus.

puram ac synceram habuerint. Quędã tamen sunt de quibus ambigi meritò non posse arbitramur, quorum vnũ est, oportere planè vel mirabiliter & extra ordinem à Deo cõseruari, vel si non subitò, sensim tamen dilabi Ecclesias quæ diuinitus ordinata disciplina non regantur. Præterquã enim quòd ἀταξία est rerum omnium conseruatrix, graue omnino iudicium Dei necesse est cõsequi sacrę doctrinæ contemptum, & sacramentorum pollutionem: quæ tamen vix cuitari, ac ne vix quidem possunt, vbi (si modò verbũ Dei ex pulpito audiatur, & externa idololatria tollatur, neq; ciuilis status perturbetur) offendiculã vel cõtra doctrinã vel contra bonos & sanctos mores commissa (id est fermentũ sensim totã massam corrumpens) certo quodam ordine non expurgantur. Alterum de quo etiam constare putamus, illud est, non tantũ doctrinam ipsam Christianæ religionis verbo Dei totam contineri, verùm etiam in eodem verbo traditã esse nobis perfectissimã formam & rationẽ, ex qua summus ille paterfamiliãs domũ suã, quæ est Ecclesia, regi & gubernari velit. Etsi enim multa sunt particularia, quæ propter varias tẽporum, locorũ & personarũ circunstantias variari necesse est, tamen certas quasdã & immotas normas ac regulas vniuersales habuit semper Ecclesia, ex ore Dei initio mũdi profectas: à Mose postea & aliis perscriptas: à prophetis explicatas, à Christo tandẽ ipso traditas ab Euãgelistis deniq; cæterisq; Apostolis plenissimè sanctas: ad quas singularia illa dirigi & reuocari oporteat. Itaq; piorum principũ & pastorum, de instaurandis Ecclesię ruinis laborantiũ, primam hanc curam ac sollicitudinẽ esse oportet, vt restituta doctrinæ puritate, mox etiam ordo ille, qui est huius puritatis fidissimus custos, à Deo ipso institutus, in vsum reuocetur, ac inuiolabiliter seruetur. Quẽ porrò hunc ordinẽ esse arbitremur, superiùs pro nostro modulo declarauimus: eum videlicet, quo nõ tantũ arguantur & increpẽtur, qui vel falsa doctrina vel malis moribus gregẽ inficiunt, verũ etiam, si cõtumaces esse pergant, nec alia ratione sanari se patiantur, à sanis ouibus, in nomine Domini, legitima præeunte cognitione, separari, seseq; pollutione sacramentorũ perdere, & alios malo exemplo corrũpere prohibeantur: tantisper dum & pudore sui, & diuini iudicij horrore fracti, ac resipiscentiã testati, in gregẽ rursum recipiantur. Eorũ enim sententia, qui existimãt ciuiles pœnas, siue pecuniarias, siue capitales, siue alterius generis, abolẽdis pertinaciũ offendiculis

Non sufficere magistratus gladium

fendiculis sufficere, nobis certè nō satisfacit. Nā vt illud omittamus, quod tamē est maximi momenti, rarissimos nēpe semper in mundo principes fuisse ac futuros, qui hac in parte officiū faciāt: ac proinde necessitatē ipsam aliud remediū requirere, nisi & doctrinam labefactari, & sacramēta pollui vltrò sustineamus: vt hoc, inquā, omittamus, & principem aliquē esse demus singulis Ecclesiis à Domino concessum, ea sapientia, eóq; zelo domus Domini inflammatum, vt ne minimū quidē offendiculum inultum abire sinat: an hoc fuerimus vllo modo consequuti quod ecclesiastica disciplina respicit? Minimè profectò. Nam vt ista pœnę ciuilis formido nōnihil reprimat publicè peccantes, & sic aliquatenus exemplis malis occurratur: animus tamen idem intus manet, maiore cum impetu aliquādo erupturus. Eiectio verò ex Ecclesiæ cœtu non huc tantùm spectat, vt contagio malorum exemplorū non serpat, quod ope boni ac diligentis magistratus vtcunq; obtineri potest: sed in hoc quoq; vel maximè est intenta, ne sacra polluantur, iis, quos porcos & canes esse constiterit, prostituta: ne cui, quoad eius fieri potest, præbeatur instrumentum ad seipsum perdendum: ne denique pereat qui extra gregem aberrauit. At istorum nihil consequemur vlla magistratus quantumlibet acri seueritate. Quum enim is homines non possit animo meliores efficere, sed duntaxat improbitatem quominus erumpat impedire, polluentut nihilominus indignè tractata sacra: improbis veluti gladium ad necandos seipsos porrexeris: denique peccatores Domino non lucrifeceris.

tollendis offendiculis. Arg. 1.

At enim (inquiet aliquis) *adiungentur quoq; monitiones & increpationes, quibus cōscientia ipsa flectatur.* Rectè profectò. Neq; verò nos ad extremū remedium, nisi vbi extrema necessitas iubet, deueniendū arbitramur. Sed quid si quis sese coram Deo cōtumacé & pœnitere nesciū magis ac magis ostenderit? quid tum faciendum dices? Imputet istud ipse sibi, inquies, vt qui monitionibus parere noluerit. Imputetur sanè. Sed quū aliud præterea extremum remediū superfit, cauterium videlicet, vrens quidem, sed carnem putrem duntaxat, nisi per ægrotum steterit: cur illud nō adhibebit prudens & pius pastor potiùs quàm pereuntem semel deserat? Præterea indomitæ istius contumacię exemplum an non alios etiam inficiet, nisi cauerit? Deniq; quamuis sua demum quemque Infidelitas & Improbitas polluat, & sacra in sese maneant sacra, quibuscumq; præbeantur:

Obiect. 1. D. Erasti. Resp. 1.

Resp. 2.

Arg. 2.

Arg. 3.

tur: tamen quum indignè accedentes polluant sibi res sacras, annon est eius pollutionis conscius, qui contumacem ab Ecclesia iudicatum, sciens, volens, absque idoneo resipiscentiæ testimonio, ad Domini mensam admittit?

Obiectio D. Erasti.

At enim, inquiet D. Erastus, *probabile est, & charitas Christiana credere nos iubet, eum resipiscere qui Cœnã Domini cum reliquis petat.*

Resp. 1.

Hoc verò pernegamus in iis locum habere, de quibus nunc agimus. Quis enim dubitat eum verè non resipiscere, qui proximo quem offendit, pro virili non satisfaciat? Nam monet etiã Dominus, vt munere ad arã relicto, priùs fratri recõciliemur. At tota Ecclesia ab istis offensa fuit. An igitur resipuisse meritò præsumentur, nisi priùs Ecclesiæ fuerint reconciliati? Nam hoc quoque sub lege, & quidé in externa etiam immunditia & peccatis errore cõmissis requirebatur. Et minoris apud nos erit mensa Domini, quàm legales olim ceremoniæ fuerint?

Resp. 2.

Arg. 4.

Deniq; vt semel hunc locum absoluamus, annon olim erat penes Mosen, postea penes Iudices, ac tandé penes Reges, ciuilis gladius? Sedebat nihilominus Pontifex Maximus de iis ipsis etiam interdum πνευματικῶς iudicans, quæ πολιτικῶς fuerant diiudicata, vt suo loco docuimus. Summa autem omniũ istorum hæc est, quod sine vllo præiudicio dictum sit. Quascunque tandem rationes humana prudentia in contrarium suggerat, & quæcumq; impedimenta Satan, istius disciplinæ, non minùs quàm Christianæ ipsius doctrinę, perpetuus hostis obiiciat, valdè vereor, ne maximo tandem damno, experientia tristis ostendat meliore forma & ratione gubernari non posse domum Domini, quàm ea ipsa cuius auctor est ipse paterfamilias, per os Prophetarum & Apostolorum loquens. Itaque pios omnes, tum principes, tum pastores hortari non dubito, vt in hanc rem quoq; ex verbo Dei instaurandam, & cum ædificatione exercendam, sedulò incumbant.

Leuit. 5. 4. & deinceps.

Emolliendus locus.

Quomodo vtendum excommunicatione.

Quòd siquis roget, quomodo excõmunicatione vtendũ censeamus, respondemus vno verbo ex Apostolo, ad ædificationẽ non ad destructionẽ. Hinc efficitur, nunquã nisi quum res ipsa prorsus cogit, & Ecclesiæ necessitas flagitat, hoc vltimo remedio vtendũ esse, & ita quidé vt neq; in dulgentiores, neq; segniores, siue in ligando, siue in soluẽdo simus, quã par sit. Efficitur & illud, diligẽter circũspiciendũ esse, quid tẽpora & personę ferãt, ea seruata moderatione, vt neq; homines timeamus, vbi timendi non sunt: neq; nos à satana intercipi sinamus, qui

Augustin. ep. 64. & contra Parmen. ep. lib. 3. cap. 2.

totus

totus in eo est, vt nos iustę seueritatis specie deceptos laceret. Deniq; Augustini hac in re moderationē libenter amplector. Et Principes & Pastores

Quānam verò, si offendicula ipsa spectemus, mereantur in genere feriri excōmunicationis gladio, ex variis Apostoli locis colligi facilè potest. Quod autē alioqui longiorem disceptationem requireret breuissimè exponi potest, si dicamus, solam aduersus Ecclesię monita indomitam contumaciam mereri abscissionem à Christi & fidelium cœtu. Expressit enim Christus, *Si Ecclesiam non audierit:* & confessionē sub lege oportebat oblationi prœire. Nullum autem est tantum peccatum (vnico illo excepto, quod Deo potiùs quàm nobis plerunque notum est) quod Christi per fidem apprehensi sanguine in animis credentiū, & fidem, qua decet resipiscentia, testificantium, non statim deleatur: nec tam etiam leue vllum est peccatum, quod contumaciter, Ecclesiæ præsertim, iudicium aspernantium, conscientiis lethale vulnus non infligat, vnico illo fidei & resipiscentiæ remedio per Christum sanabile. Sic Christus humiliter ad se accedentes illa suauissima formula peccatores erigere nos docet, *Vade in pace, & noli amplius peccare.* Et Paulus, *Fuistis*, inquit, *olim ista, sed nunc nō estis.* Et Ioannes, *Filioli ne peccate. Si quis autem peccarit, aduocatum habet in cœlis Iesum Christum iustū.* Quòd si quando resipiscens etiam aliquis iubetur ad tempus à Cœna abstinere, exēplo Marię sororis Mosis, & eorū qui propter immunditiam esu Paschæ ad mensem integrum prohibebantur, vt & septiduo aliæ non paucæ impuritates luebantur: neque id fit temerè, sed partim vti reorū pœnitentia probetur, partim vt aliis sint terrori, quando sic expedit propter offendiculi magnitudinem: neq; propterea Christi & Ecclesiæ membra censeri desinunt. Huic autem legitimę constitutæ disciplinæ omnes & singulos Christi fidem in Ecclesia profitentes adstrictos esse affirmo.

ipsos huic disciplicæ subiici.

Matth. 18. 17.

Luc. 7. 50.

1. Cor. 7. 10.

1. Ioan. 2. 1.

Num. 12. 14. & 9. 10.

Nominatim, inquam, dico nullum prorsus, qui in Christiana Ecclesia censeatur, isti disciplinæ non esse subiectū, vt planè mirari subeat, quod D. Erastus Magistratus excipi saltem velit. Nec enim ita subiiciuntur hominibus, sed Deo, cuius hęc propria est iurisdictio, cui & ipsi in primis pastores, si deliquerint, obnoxij sunt, non tantùm vt moneantur, arguantur, increpentur, verùm etiam vt, si sit opus, ligentur ipsi quoque & Satanæ tradantur: quod ni fiat, quis nos tandem à crimine πορσωπολη ψίας excusauerit? Hoc tamē interest, quòd Magistratus

Arg. 1.

Arg. 2.

tus imperiũ,quum ciuile sit,non alia quàm ciuili iurisdictione abrogari potest.Extraordinaria enim sunt,quę per Prophetas in his negotiis acta sunt: & quicquid Antichristus Romanus hic ausus est,à Satanæ spiritu promanauit.At cõtrà,si qui sunt verbi ministri, aut alia functione præditi in Ecclesia Dei, qui neq; officiũ faciant,neq; cẽsuris Ecclesiasticis in viã reuocari se pariantur,& ἑτεροδιδασκαλοῦντες,vel prorsus ἀτάκτως se prębẽtes,ministeriũ suum dehonestẽt, & Ecclesiæ pacẽ turbent: officiũ est Magistratus,tanquam Ecclesię nutritij,cauere ordine tamen seruato,nequid detrimenti Resp.Christiana accipiat.

Arg. 3. Auctoritatem verò istius non Oligarchicę neq; tyrannicę, sed verè diuinæ Regis Regum in terrestres quosuis Dominos potestatis,tum asserit ipsa ratio,tum scripturę exempla manifesta comprobant.Nam si in iis quę ad conscientiam spectant, vnicus est Rex αὐτοκεφάλιος in Ecclesia sua Christus, & pro eius tribunali erectum est ab eo in his negotiis πρεσβύτερον, (quod antea me probasse confido,) quis tandem Reges & Principes ab ista dominatione non humana, sed diuina exemerit, quin læsæ diuinæ Christi maiestatis reus constituatur ? nisi fortasse putamus,huius ministerij finibus vulgus tantùm,siue priuatos homines comprehendi: & sicut in ciuilibus negotiis,ita etiam in sacris,Regũ coronas vni Christo adeò subiici ἀμέσως, vt peculiari Dei iussione indigeant,quicumque illos arguunt.Certè si illos arguere,reprehendere,increpare, ex Dei verbo non tãtùm possunt,verùm etiam tenentur Prophetarum exemplo,& expressis Pauli verbis freti,fidi mysteriorum Dei dispẽsatores, annon etiã contumaces & rebelles ligare,vt resipiscẽtes soluere? Exemplum autem istius diuinæ auctoritatis sit ipse Dauid, ita sese Nathanis obiurgationi subiiciens,vt etiam suæ cõfessionis æternum testimoniũ extare voluerit: in qua illud quoq; satis manifestè exprimitur,illum vitro sese legi sacrificiorũ pro delicto subiecisse. Aliud etiam expressius exemplũ in Vzia rege & Azaria sacerdote habemus, cuius vestigiis quum Ambrosius aduersus Imperatorem Theodosium immanissimæ sęuitiæ reum planè institerit, quis non valdè miretur factũ istud nunquam satis laudatum,posse à quoquam vt à tyrannico spiritu profectum exagitari ? Certè qui nobilissimam hanc historiam ex ipso potiùs Ambrosio, quàm ex impuris quibusdã lacunis hauserit,ex duabus videlicet ipsius epistolis,primùm intelliget tantam fuisse illius scelcris atrocitatem,vt illud in Imperatore;

2.Paral.26. 16.& deinceps.

peratore, qui se Christianum profiteretur, nullus verè Christianus episcopus tacitus ferre debuerit aut potuerit. Deinde nihil ab Ambrosio fuisse, nisi præeunte Gallorũ episcoporum Synodo, sanctè & religiosè coacta, gestũ. In ipsis verò literis quid tandem est, quod Christi Spiritum non sapiat? Sic enim est tẽperata reprehensionis grauitas, vt summã vbique, tum Imperatoriæ dignitatis, tum veræ episcopalis de peccatoris salute solicitudinis, admirabili prorsus artificio, habitam fuisse rationem, facilè quiuis animaduertat. Quòd, quod nouam quoque alterius, si placeret, Synodi cognitionẽ offert Ambrosius: nec aliud postulat, quàm vt ad se rediens Imperator, culpã agnoscat, & emendet tanto cum offendiculo cõiunctam? Exitus autem ipse tandem hanc reprehensionem sequutus, vnde sit profecta satis manifestè demõstrat, quum nulla res magis & Ambrosij veri pastoris officio fungentis, & Theodosij sese Christo per os veri episcopi loquentis tam Christianè summittẽtis, vitam honestarit, & venturis seculis omnibus commendarit. Ambros. lib. epist. 5. epist. 28. & 29.

Et hæc quidem nostra est sententia de hac Ecclesiastica disciplinæ parte, quam Deus nobis testis est, non alio animo à nobis quàm moderatissimè possumus vsurpari, ac nunc etiam defendi, quàm quòd hanc quoq; gubernationis Ecclesiasticæ regulam à Deo nobis traditam, & perpetuis à condito mundo exemplis confirmatam, sequentes, firmum nos habere quo nitimur fundamentum credimus: citra vllum tamen earum Ecclesiarum præiudicium, quæ ad exclusionem vsq; à Cœna Domini non progrediuntur, quòd illa se carere posse existiment: modò nostris quoque non præiudicetur: nedum vt Tyrannicam esse hanc disciplinã tradenti D. Erasto assentiri possimus. Certè in Germanicis nonnullis Ecclesiis, quid optimi & doctissimi quique semper desiderarint, ac etiamnum superstites desiderent, obscurũ non est ex eorum scriptis intelligere, tum veteribus, vt D. Buceri, Melanchthonis, Sarcerij, & ferè omnium quos inspicere licuit: tum recentioribus, vt D. Chytræi, & Hemingij, quibuscum etiam plerosq; sentire non dubito. Faxit autem Deus Opt. Max. pro clementia singulari sua, vt etiã hac de re inter verè pios, & eruditos pastores consensus quoquo modo ex Dei verbo, cum bona Magistratuum pace, constitui possit: vt omnes vnũ & idem per omnia in Christo sapiamus & agamus, ad gloriam ipsius nominis sempiternam, Amen.

FINIS.